DE USU

CONIUNCTIONUM QUARUNDAM

APUD

SCRIPTORES ATTICOS ANTIQUISSIMOS

SCRIPSIT

ERNST KALINKA.

PRAGAE
F. TEMPSKY

VINDOBONAE
F. TEMPSKY
BIBLIOPOLA ACADEMIAE LITTERARUM CAESAREAE VINDOBONENSIS

LIPSIAE
G. FREYTAG

MDCCCLXXXVIIII.

Typis descripsit Adolphus Holzhausen. Vindobonae.

Huius disputatiunculae, quae praecipue ad scriptores Atticos antiquissimos pertinet, materiam mihi praebuerunt Gorgias, sub cuius nomine duae declamationes feruntur, quarum num utraque sit genuina, in medio relinquo, Antiphon, Thucydides, libellus de re publica Atheniensium, in cuius sermonem, quamquam tot de illo commentationes conscriptae sunt, nemodum inquisivit, Andocides, cuius in dicendi consuetudinem perscrutandam, textum constituendum, singulos locos explanandos operam impendi tantam, quanta dignus videbatur orator ille a grammaticis usque ad haec tempora iniuria saepe neglectus, primis sermonis Attici efflorescentis temporibus gravissimus, ut plerique magis magisque sibi persuadent, testis iudicii oratorii ab argutiis nugisque Siculorum ad naturam simplicitatemque se convertentis.[1]) titulorum quoque in lapidibus incisorum ratio erat habenda; sed fructus eius operae praeter exspectationem erat minutus, cum eis titulis dialecti Atticae, qui oratione soluta scripti sunt, me continerem, eos autem, qui metri numeris vincti sunt, praetermitterem, eodem modo, quo poetarum Atticorum opera, quippe qui proprias leges sequerentur, in hac quaestione non respexi.

His igitur disputationis meae fundamentis iactis, quia alicuius momenti esse existimabam cognoscere, qualem speciem oratio prosa ante primos Atticos prae se tulisset, Herodoti usum examinavi. qua in re, cum, quae de eo ab aliis disputata sunt, non semper sufficerent, saepe, ut Herodotum cum Atticis antiquissimis in hac illave re interiore contendere possem, ipse prius consuetudinem Herodoti explorarem necesse erat.

Deinde ut adpareret, quomodo quidque temporibus, quae continuo sequebantur, immutatum esset an servatum an repudiatum, plerumque Lysiae quoque et Isocratis orationes respexi; atque eadem de causa nonnumquam etiam ad oratores aetate inferiores, maxime Demosthenem descendi, multoque

[1]) L. Egger, die Parenthese bei den attischen Rednern (Mittheilungen des Vereins Mittelschule 1887, t. I, f. 1), p. 32: Andocides bezeichnet eine Art Reaction; cf. Blass, att. Ber. I² 298, Morawsky, Z. f. ö. G. XXX 401 sqq.; quae autem ratio inter quinque illos scriptores intercederet, quique eorum sermonem Atticum quodam modo fundasse putandi essent, primi exposuerunt Wilamowitz in actis conv. phil. Germ. Visbadae 1877, p. 39 et Susemihl ann. phil. CXV 798 sq.

saepius ad Xenophontem et Platonem, quos in comparationem vocare eo utilius videbatur, quod, cum propius eos a sermone vulgari abesse constet, liberius genus dicendi et ab oratoribus aliquanto diversum praebent itaque frequenti usus discrepantia clarius lumen discriminibus adfertur, ipsi similitudini maior vis tribuitur.

Iam omnes enumeravi scriptores, quorum in hac quaestione mentionem faciam. ut autem ad argumentum libelli ipsum adgrediar: quod ex rerum multitudine fere immensa particulas causales et conclusivas, quae arte inter se cohaerent nec saepe tractatae sunt a grammaticis, elegi, de quibus dissererem, eam rem explicare profecto opus non est; sed in ratione disputandi si quis me reprehenderit, quod parum animum adverterim, quibus coniunctionibus scriptores transitum in oratione effecturi usi essent, respondebo eius modi locis coniunctiones tanto opere variare, ut ex tali disquisitione fructus non percipiatur, nisi de quaque formula dicendi singillatim agatur, id quod fecit Gebauer in commentario, quo orationes Lysiacas illustravit, nulla quidem temporum ratione habita, quod certe maximum gravissimumque esse debebat. neque vero, usus earum coniunctionum per amplius temporis spatium idem permanserit an paulatim immutatus sit, quo tempore id factum sit, a quo principio res profecta, quo modo in singulis scriptoribus progressa, iam certum exploratumque est.[1])

---

[1]) Hoc loco eorum nomina proponam, qui iam de similibus rebus atque ego commentati sunt. in quibus primi sunt nominandi, qui in singulis scriptoribus operam posuerunt, cum aut in commentariis vel tabulis adiunctis res memorabiliores protulerunt, quas in usum meum converti, veluti Stein ad Herodotum, Classen et Krueger ad Thucydidem, Gebauer ad Lysiam, Schneider ad Isocratem, Rehdantz ad Demosthenem, Kuehner ad Xenophontem, Stallbaum ad Platonem, aut separatos libellos confecerunt, veluti Broschmann, de part. γάρ usu Herod. 1882, V. Hoffmann, de particularum nonnullarum apud Herod. usu 1880, idem, über den Gebrauch der Partikel ὦν bei Herod. 1884, Saeve, quaestiones de dicendi usu Thuc. I, de vi et usu part. γάρ 1864, Schaefer, de particularum nonnullarum apud Antiph. usu 1877, Wetzell, Beiträge zum Gebrauch der Partikeln bei Antiphon 1879, F. A. Mueller, observationes de elocutione Lysiae I, de anacoluthis 1877, Hoefer, de nonnullarum part. apud Plat. usu 1882, Kugler, de particulae τοὶ eiusque compositorum apud Plat. usu 1886, quibus subiciendus mihi est index Thucydideus a van Essenio nuper in lucem editus. praeterea exempla a Baeumlinio et Kuehnero e scriptis Xenophontis et Platonis collecta et a Gebauero in libro, quem inscripsit *De hypotacticis et paratacticis argumenti ex contrario formis*, ex oratoribus hausta hoc loco commemoranda sunt.

ΓΑΡ.

I.

Initium faciamus a causali particulae γάρ usu, quippe qui frequentissimus sit et iam temporibus antiquissimis inveniatur. ac primum quidem complures, quibus illud γάρ causale legitur, locos Andocideos tractemus, qui aut emendatione aut explicatione egere mihi videntur.

Magnum coniecturarum certamen excitatum est And. I 29 καὶ γὰρ οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων ταῦτα τὰ δεινὰ καὶ φρικώδη ἀνωρθίαζον καὶ λόγους εἶπον, in quibus verbis multa hominibus doctis displicuerunt.[1]) mihi vero, cum apud Andocidem saepius verba parvo spatio interiecto iterum ponantur (I 107 γνόντες τῶν συμφορῶν τῶν ἐπιουσῶν τὸ μέγεθος — ἔγνωσαν τούς τε φεύγοντας καταδέξασθαι —) et apud Graecos concessum sit, ut subiectum enuntiati posterioris ex casu obliquo prioris repetatur (And. I 45, III 12, Ant. V 48, Isae. VI 5), una difficultas tanta esse videtur, ut codicum lectionem cum Lindero, de rerum dispositione apud Ant. et And. p. 68, adn. 58 tueri non possim. nam obstat haud dubie Harpocrationis interpretatio, quominus λόγοι subiectum verbi ἀνωρθίαζον esse statuamus. atque huius testimonii gravitati etiam Blass cessit, qui οἳ post οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων inseruit, qua coniectura verbis τούτων οὖν τῶν λόγων substantivum οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων, quod certe enuntiato relativo longiore interposito in animis audientium fere oblitteratum erat, renovari statuitur. sed vehementer equidem dubito, num locus reperiri possit, quo aeque atque hoc non id substantivum, quod enuntiato relativo explicatur, κατήγοροι pronomine

[1]) Primum vix tolerari posse videbatur substantivum λόγοι brevi intervallo iteratum sensu usuque non plane eodem. quae offensio sane tolleretur Sluiteri (lect. And. p. 113) commento καὶ ἀλόγως εἶπον, nisi id reiciendum esse inter omnes constaret. deinde aegre tulerunt, quod, cum οἱ λόγοι subiectum esset verbi ἀνωρθίαζον, aliud rursus subiectum adsignandum esset verbo paratactice coniuncto λόγους εἶπον, nomen dico οἱ κατήγοροι, quod in enuntiato priore formam genetivi habet. quae subiecti varietas adeo indigna oratore habebatur, ut alterum membrum καὶ λόγους εἶπον exstirpandum censeret Helbig ann. phil. LXXXV 680. at puto causam satis idoneam tibi non fingas, qua quis commotus haec verba adscripserit; neque deesse potest οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων, quod damnaverunt K. L. Kayser Mus. Rhen. XVI 80 et Usener ibid. XXV 589. hi enim negaverunt subiectum οἱ λόγοι coniungi posse cum verbo ἀνωρθίαζον nisi in ea re Harpocrationis glossa: ἀνωρθίαζον ἀντὶ τοῦ ὄρθιον βοῶντες ἔλεγον Ἀνδοκίδης. isdem de causis alii subiectum οἱ λόγοι ita mutaverunt, ut eo persona significaretur, quae et cum ἀνωρθίαζον et cum λόγους εἶπον consociari posset, veluti Sluiter p. 113 scripsit οἱ λόγιοι, Köpke progr. gymn. Guben. 1869 οἱ λέγοντες, Frohberger Philol. Anz. II 328 οἱ μυθολόγοι. sed hi omnes emendandi conatus contra sanam rationem eo peccare mihi videntur, quod vix credibile est Andocidem negotium τοῦ λόγους εἰπεῖν verbis disertis ad partem rettulisse accusatorum, eam nimirum, quae verba faciebat in iudicio, quasi non omnes idem sensissent.

postposito in memoriam revocetur, sed illud, ex quo hoc pendet, οἱ λόγοι. apud Andocidem quidem omnibus locis, qui conferri possunt, verbum, e quo enuntiatum relativum aptum est, aut ipsum iteratur aut alio repetitur (I 88, 149, II 9, III 5; cf. Thuc. I 80, 3, IIII 44, 4 τοῖς δ' ἡμίσεσι τῶν Κορινθίων [cf. 42, 4], οἳ ἐν τῇ Κεγχρειᾷ ἐκάθηντο φύλακες, — τούτοις οὐ κατάδηλος ἡ μάχη ἦν). accedit, quod hac coniectura recepta neque καί neque γάρ ullam habet explicationem. quamquam igitur Blassii coniectura improbanda est, tamen viam ille monstrasse videtur, qua manus scriptoris restitui possit. et ipse enim puto verbis τούτων οὖν τῶν λόγων oratorem nomen οἱ λόγοι τ. κ. respicere, quae autem ita nascatur inconsequentia, eam, si pro enuntiato relativo liberiorem in modum parenthesis intercedat, aliqua ex parte imminui. at quid particula γάρ faciamus, cuius vis causalis, quamvis in scriptura tradita clare adpareat, loco sic constituto non magis ferri potest quam, ut iam diximus, emendatione Blassii recepta? reponamus eam in interclusione, cui optime convenit, inter ΤΑΥΤΑ et ΤΑ, quo loco litteris maiusculis exarata facile omitti et postea falso loco inseri potuit. scribas igitur mecum: καὶ οἱ λόγοι τῶν κατηγόρων — ταῦτα γὰρ τὰ δεινὰ καὶ φρικώδη ἀνωρθίαζον καὶ λόγους εἶπον . . . — τούτων οὖν ἐμοὶ τῶν λόγων eqs., quae verba apte adplicantur ad sententias, quae enuntiato relativo interposito ὅπερ ἐμοὶ περὶ πλείστου ἐστὶν ὑμᾶς πεῖσαι praecedunt. quod autem residet anacoluthon, non est gravius molestiusque quam quod legimus Isocr. IIII 108, XII 118; cf. Kampfner, de anacol. apud Thuc. § 13.

I 30 orator dicit accusatorum verba nihil ad se pertinere; haec enim sententia subest interrogationi rhetoricae τούτων οὖν ἐμοὶ τῶν λόγων ἢ τῶν ἔργων τί προσήκει; quam rem eo probare studet, quod rationem invertens ipse eos accusat, altero autem enuntiato eam sententiam fusius explicat. hunc igitur sententiarum ordinem Blass non plane perspexit, cum ταῦτα ante κατηγορῶ inseruit.

In verbis I 95 Ἐπιχάρης δ' οὗτος, ὁ πάντων πονηρότατος καὶ βουλόμενος εἶναι τοιοῦτος, ὁ μνησικακῶν αὐτὸς αὑτῷ· οὗτος γὰρ ἐβούλευεν ἐπὶ τῶν τριάκοντα Blass (att. Ber. I² 320) sine necessitate inconsequentiam inesse opinatus est. ac Francke, de And. or. de pace p. 15 cavendum esse ait, *ne figuram illam artificiosam, quae aposiopesis vocatur, putemus inesse in* I 95. sed haud difficile intellegitur praedicati locum tenere participium ὁ μνησικακῶν (cf. Pl. Euthyd. 290 e μὴ ὁ Κ. ἦν ὁ ταῦτ' εἰπών . . .;) et oratorem cum leni irrisione haec fere dixisse: *cum Cephisius et Meletus non deliquerint id ipsum quod gravissimum est et impunitatem sint adsecuti, Epichares, homo omnium sceleratissimus ac pertinacissimus, inter tres accusatores ille est, qui tanta commisit, ut fieri non possit, quin sibi ipse certe perpetuo memor sit malorum; is enim senator erat XXX viris dominantibus itaque, si non ipse exemptus est a facinorum oblivione,* ut ita dicam, *at tamen eis erat coniunctissimus, quibus civitas* μνησικακεῖ (cf. § 90).

III 21 codices exhibent καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται παραιτοῦμαι γὰρ ὄντα λέξω· in vulgata lectione ante γάρ insertum est τά, quod propter similitudinem

duarum, quae secuntur, litterarum facile excidere potuit. sed hac emendatione sententiarum contextus omnino corrumpitur. si enim in καί vim particulae *etiam* inesse ponimus, quod consuetudine Andocidis et Atticorum omnium antiquorum flagitatur (cf. infra p. 170), ita ut καὶ . . . εἰ coniunctio concessiva sit, id non convenit cum verbo primario παραιτοῦμαι. sed utut res se habet, verba καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται παραιτοῦμαι nec causam nec explicationem continent enuntiati antecedentis. quapropter aliam scripturam propono καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται, — παραιτοῦμαι γάρ — ⟨τὰ⟩ ὄντα λέξω, quae ex re palaeographica non minus commendatur. sententia autem loci haec est: postquam interrogavit, quibus condicionibus pacem facere Atheniensibus liceret, alterum illud subicit, quales se Lacedaemonii praebeant. cur autem eam interrogationem, qua orationem ad Lacedaemonios traduxit diserte eos nominando, adderet, in causa ei id erat, quod, quo modo re vera illi erga Athenienses se gessissent, ei erat in animo narrare, etiamsi ea re multorum auribus nequaquam se blandiri bene sciret. ea de causa iam inter enuntiatum secundarium et primarium causam interponit, cur talia dicere possit audeatque: παραιτοῦμαι γάρ *veniam enim rogo*.[1]) melius quoque inter se respondent hac scriptura probata artiusque conectuntur duo futura ἀχθεσθήσεται et λέξω, si praesens παραιτοῦμαι interpositionis locum habet.

His igitur praemissis iam rem, quam supra significavimus, adgrediamur.

1.

Peculiaris est indoles quattuor locorum Andocideorum II 23 (ἔτι γὰρ . . . .), I 15 (ἦν γὰρ . . .), 33 (ἐὰν γὰρ . . .), 37 (ἐν ὑμῖν γὰρ . . .), quae enuntiata non causam enuntiati ipsius praegressi continent, sed eis probatur, cur id, quod verbis antecedentibus dictum est, fieri possit vel potuerit. ex eorum igitur numero sunt, quibus ante enuntiatum causale, quod non ipsius antecedentis sententiae rationem reddit, aliquid supplere possis. atqui si talem sententiam enuntias, simul cum ea aliae quasi subsicivae sententiae ultro prodeunt, quales sunt: *id autem fieri potest; id autem pro certo scio; id autem dicendum esse puto* (cf. And. III 29, [IIII] 7; ac persaepe apud Isocr. velut VII 29).[2]) ergo perversum esse arbitror talia expressis verbis supplere velle.

Itidem res se habet, si exhortationi praegressae orator causam adiungit, cur eam proposuerit (And. I 18, 19, 69, III 25[3])). similis est is usus, quo post

---

[1]) Similiter idem verbum interclusionis locum obtinet I 32 οὐ παραιτοῦμαι.

[2]) Cf. Gomperz, herodot. Stud. in Act. acad. Vindob. CIII 554, quo loco de Her. II 135 disputavit: *Nicht allzuselten sind die Fälle, in welchen ein durch γάρ eingeleiteter Begründungssatz nicht den Inhalt der vorangehenden Aussage, sondern das Stattfinden derselben und das ihr zugrunde liegende Wissen erklärt; Lys. I 11, Her. III 102.* tamen eum usum, quantum ad Herodotum pertinet, frequentem esse negat Broschmann p. 19.

[3]) Hoc loco post διδαξάτω μέ τις lenius signum commatis ponere malim, quia enuntiatum, quod sequitur, ἀναμνήσθητε γὰρ eqs. significare mihi videtur, cur orator ex aliis cognoscere velit, quanti Atheniensibus sit Corinthus Boeotis amissis, aliosque roget, ut se de ea re edoceant.

interrogationem scriptor rationem reddit, cur haec interrogaverit (And. III 21, 26, Isae. XI 19, Dem. VIII 37); contra ceteris locis rhetorica interrogatione praemissa eam sententiam probare et confirmare studet, quae in interrogatione illa latet (And. I 30, 114, III 2, [IIII] 15, Ant. II β 6, 7).

Accedunt loci, quibus enuntiato a γάρ incipienti non redditur ratio sententiae cuiusdam, quam antecedens enuntiatum una complectitur, sed sententia, cuius causa additur, e contextu orationis supplenda est; id quod maxime in responsa cadit, quae supprimuntur ita, ut e sequenti enuntiato causali intellegantur, velut Thucydides Saevio (p. 21) teste ter sibi id indulsit (V 95, 97, 99 in diverbio Meliorum), Gorg. Pal. 9, 14, Ant. V 55. qui usus aetate inferiore increbruit; cf. Rehdantz ad Dem. III 6 et ind. p. 233. sed in orationibus Andocidis et in libro de re publica Atheniensium nullum huius rei inest exemplum.

2.

Pauca mihi adicienda sunt de enuntiatis particulae γάρ antecedentibus. quae si binis membris continentur, particula γάρ aut post prius inseritur (And. II 4, I 30, III 40, [IIII] 7, 39) aut post alterum. quodsi hunc tenet locum, enuntiatum a γάρ incipiens longe plurimis locis ad alterum membrum pertinet (And. II 1, 9, 19 et saepe; I 55 ad tertium membrum); aliis locis, quorum altero membro idem adfirmatur, cuius res contraria priore negatur, enuntiatum causale, quamquam illud membrum continuo antecedit, tamen potius ad prius referendum videtur (And. I 4, 140, 146, III 18, Thuc. VI 54, 5); denique perpaucis locis ad utrumque simul membrum spectat (And. III 26, [IIII] 8). nullo vero loco Andocides orationis concinnitatem eo aucupatus est, quod post utrumque membrum coniunctione γάρ enuntiatum adiunxit, id quod saepius invenimus apud Antiphontem, praesertim si tetralogias illas perpolitas percurrimus, velut IIII β 6.

3.

Enuntiatum a γάρ incipiens quamquam semper fere ad verbum primarium, quippe quo summa totius sententiae contineatur, referendum est, nonnullis tamen locis ad infinitivum spectat (And. I 33) aut participium (II 23, I 15, 19 ὁ μὲν γὰρ, III 18, [IIII] 7, 32) aut ad enuntiatum secundarium, cuius primum locum obtinet pronomen relativum (I 71, III 29) vel particulae ὡς (II 22, I 4), ὅτι (II 4, I 6, 140), ὅτε (II 9), ὥστε (II 16).

4.

Ipsum enuntiatum causale omnes formas potest induere, etiam formam imperativi (And. III 25, fr. 4 opt. μὴ γὰρ ἴδοιμεν,[1]) Ath. rp. III 6); maxime autem eius vis augetur forma interrogationis (And. I 4, Ath. rp. II

---

[1]) Cf. de hoc loco Kirchhoff Herm. I 2 sq.

11, 15, III 2). sed ante omnia hic mihi commemoranda est ea Graecorum consuetudo, ex qua, ut sententiam antecedentem comprobent, sola apodosi hypothetica, qua ostenditur, quid futurum sit, si illa vera non sit, utuntur protasi omissa. cuius usus exempla, quae apud Herodotum leguntur, collegit Broschmann p. 20, quae apud Thucydidem, Krueger II 260. in orationibus Andocidis unum inveni locum II 4, plures apud Antiphontem II β 7, 10, γ 6, V 25. neque tamen plenae orationis desunt exempla, velut And. I 92.

5.

Denique neminem adhuc distincte pronuntiasse video saepius non ipso, in quo γάρ positum est, enuntiato causam eorum, quae antecesserunt, contineri, sed eo demum, quod sequitur: velut And. II 24 παύσασθε εἴ τῳ ὑμῶν διάβολόν τι ἐν τῇ γνώμῃ περὶ ἐμοῦ παρέστηκεν. εἰ γὰρ, ὅσα οἱ ἄνθρωποι τῇ γνώμῃ ἁμαρτάνουσι, τὸ σῶμα αὐτῶν μὴ αἴτιόν ἐστιν, ἐμοῦ τὸ μὲν σῶμα τυγχάνει ταὐτὸν ἔτι ὄν, ὅπερ τῆς αἰτίας ἀπήλλακται, ἡ δὲ γνώμη ἀντὶ τῆς προτέρας ἑτέρα νυνὶ παρέστηκεν praemissum est enuntiatum condicionale, quod non arte cohaeret cum sententia probanda. vel causa ipsa inest in secundario enuntiato, cum antecedens primarium particulam γάρ contineat (And. II 26, III 25). vel duo sunt membra, quorum priori γάρ insertum est, alterum causam exhibet: And. I 7, 58, 140, Ath. rp. III 9. quibus locis cum prius membrum sententiarum conexu nequaquam flagitetur, studium manifestum adparet duo membra inter se respondentia praeter necessitatem efficiendi, unde Andocidem artis tum florescentis non tam ignarum fuisse, quam multi contendunt, facile intellegitur, etiamsi nimium orationum Antiphontearum ornatum et luxuriem, ut ita dicam, dicendi pro sua parte constrinxit.

II.

Ex usu causali particulae γάρ exortus esse videtur, qui saepe ab hoc distingui non potest, usus declarativus, qui minus late patet. atque uno etiam Andocidis loco tale γάρ mihi delendum esse videtur, etsi omnes editores id toleravere. etenim I 20 haec legimus in codicibus ὁ πατὴρ ἐπείσθη ἀγῶνα τοιοῦτον ἀγωνίσασθαι, ἐν ᾧ δυοῖν τοῖν μεγίστοιν κακοῖν οὐκ ἦν αὐτῷ ἁμαρτεῖν; ἢ γὰρ ἐμοῦ δόξαντος τὰ ὄντα μηνῦσαι κατ᾽ ἐκείνου ὑπ᾽ ἐμοῦ ἀποθανεῖν ἢ αὐτῷ σωθέντι ἐμὲ ἀποκτεῖναι. quo autem melius de hoc loco decernamus, similes conferamus necesse est I 57, III 28 atque inprimis II 7, Thuc. I 33, 3, IIII 28, 5.[1]) cum igitur ab

---

[1]) Alia permulta huius usus exempla Gebauer Lys. I 433 sq., 440 sqq. collegit, in quibus aut duo infinitivi duplici ἤ in orationem inferuntur aut, si γάρ insertum est, tota et integra enuntiata secuntur, quorum verbum numquam, nisi oratio indirecta subest (Isae. III 74, Dem. XVIIII 151), formam infinitivi habet.

omnibus locis, qui talem infinitivum explicativum [1]) exhibent, γάρ absit, hoc quoque loco ferri non potest. at quicumque loci Thucydidei γάρ iuxta solum infinitivum praebent, austeritate generis dicendi, quo ille utitur, explicandi sunt vel excusandi. namque in VII 28, 3, si modo γάρ recte codicibus traditur, similis inconsequentia inest atque I 25, 4; deinde III 65, 1 ἐλθεῖν et VIII 86, 3 ἐξεῖναι habendi sunt infinitivi orationis obliquae; denique II 17, 2 et IIII 68, 5 (sicut VI 24, 3; 68, 3, VIII 87, 3) facili negotio ad enuntiatum mancum ex eis, quae antecedunt, verbum finitum adsumitur. sed tali interpretandi artificio hic locus Andocideus defendi non potest; ut enim, quod quidam voluerunt, mente infinitivis ἢ ἀποθανεῖν ἢ ἀποκτεῖναι adicias verbum enuntiati praegressi ἦν, tamen non puto Graece dici ἦν αὐτῷ ἢ ἀποθανεῖν ἢ ἀποκτεῖναι (pro ὑπῆρχεν).[2]) quam ob rem dubium non esse mihi videtur, quin γάρ expellendum sit. cum enim γάρ compendio γ̀ scriberetur, a vero non abhorret quendam pro ἢ legisse et scripsisse γάρ, supra quod deinde alter veram scripturam ἢ adpinxit. quae res confirmatur ipsis codicum vestigiis, de quibus Blass in adnotatione critica haec rettulit: ἢ *a corr. habet A.*[3])

Iam de nonnullis locis Andocideis loquar, quibus difficilius est intellegere, quid enuntiato coniunctione γάρ illato illustretur. I 55 verbis νῦν γὰρ ἐμὲ μὲν λόγον δεῖ διδόναι τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων μετὰ τῆς ἀληθείας explicatur, cur in eis, quae continuo antecedunt, orator dixerit ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων *(cognoscite ex rebus ipsis; nam quae ego nunc narro, res ipsae sunt)*; I 104 ἀγῶνες, qui in interrogatione adtinguntur, copiosius explanantur; I 119 quae sint illae οἰκειότητες, quas ipsi ostendere possint et debeant avunculo mortuo eiusque filiabus superstitibus, exponitur; I 57 verbis εἰ μὲν γὰρ eqs. ea quodam modo evolvuntur, quae pronomen τί quasi operta complectitur; similiter III 13 enuntiato οἶμαι γὰρ agitur de pronomine interrogativo διὰ τί, quod explicatione eget; III 35 substantivum τρόπους, 41 πρεσβευτάς enuntiato sequenti explanatur.

1.

In universum de particulae γάρ usu declarativo id unum dicam, si unum verbum eis, quae secuntur, illustretur, sponte fieri, ut id conspicuo loco ponatur; itaque apud Andocidem modo locum enuntiati primum obtinet (tantummodo III 41), modo extremum (I 27, 55, III 35), modo ante ipsum

---

[1]) De qua re cf. Michaelis, de inf. usu Thuc. p. 36.

[2]) Quod autem γάρ aeque ac nostrum *nämlich* ideo usurpatum est, ut singulis verbis explicandi causa adpositis adiceretur, cuius usus exempla in scholiis sunt uberiora, id ad illa tempora referre non licet.

[3]) Postquam mihi de hoc loco sententia stetit, iam Dobraeum hoc mendum sensisse animadverti, qui in Adversariis scripsit: *delere malim* γάρ *vel* ἦν γὰρ ἢ ἐμοῦ; ad quae verba Hickie in ed. And. I (1885) adscripsit: *a simpler correction would be* ἦν γὰρ ἐμοῦ, simplicior sane, at deterior.

verbum extremum collocatur (I 118, 137, III 20). attamen hanc legem non tam constanter observavit orator, ut verba aliter conformare non auderet, veluti I 57 et III 13, ubi quidem aliter dicere vix potuit, et I 104, ubi post ἀγῶνας, de quibus enuntiato sequenti exponitur, plura verba leguntur (καθίστασθαι ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων), quae quidem omnia arte cohaerent cum verbo ἀγῶνας. sed cum Herodotus id curaret, *ut, quo magis exstaret vox illa explicanda et prae ceteris efferretur, eam in ipsa fronte collocaret eius, quae particula γάρ infertur, enuntiationis explicativae,*[1]) velut IIII 7, 103, VIIII 11, Andocides id prorsus neglexit. etsi enim III 11 necessitate quadam coactus εἰρήνην primo loco posuit, I 104 et III 41, ubi idem facere potuit, verba ἀγῶνα et πρεσβεύων longe distant ab initio enuntiati.

2.

Nulla particula frequentius adhibetur ad interclusiones adornandas quam γάρ, qua de causa hic breviter proponam, quo modo in hac re dicendi consuetudo paulatim mutata sit. Herodotus igitur pro dissoluto sermonis sui genere illaque simplicitate, qua parataxim, quam dicunt, hypotaxi praetulit, omnium saepissime illis usus est multis etiam locis, quibus nos enuntiatum relativum desideramus. posteriores vero scriptores iam certos sibi fines constituerunt, ne oratio quodam modo dilaberetur interclusionibus. Thucydides quamquam eas nequaquam fugit, tamen moderatior fuit in eis admittendis et vitavit, ne eas interponeret in enuntiatis secundariis praeter relativa. etiam angustioribus finibus hunc usum circumscripserunt oratores, quos in hac re perscrutatus est L. Egger. etenim antiquiores oratores interclusiones inserere noluerunt nec media in enuntiata primaria nec secundaria, sed pleraeque leguntur in intervallo, quod est inter enuntiatum secundarium et primarium (And. I 15, III 21 e nostra scriptura — παραιτοῦμαι γάρ —). neque vero *desunt apud Andocidem,* ut Egger p. 24 contendit, *loci,* quibus enuntiatum secundarium interclusione interrumpatur; nam III 29 in enuntiatum relativum, etiamsi eius ambitus maior est quam pro enuntiato secundario, verba inseruntur χρὴ γὰρ ἀναμνησθέντας τὰ γεγενημένα καλῶς βουλεύσασθαι.

3.

Inprimis autem hoc loco ille particulae γάρ usus nominandus est, quem plerique praepositivum dixerunt.[2]) Hartung vero, die griech. Part. p. 464 et Schraut, γάρ in vorgeschobenen Sätzen etiam talibus locis nullam aliam vim particulae γάρ subesse dicunt quam adfirmativam. sed rectius Piderit ann.

---

[1]) Cf. Broschmann p. 28.

[2]) Bäumlein p. 75, Kuehner p. 854, Sernatinger, de particula γάρ, cf. Bursiani annal. XV 272, Poppo Thuc. Prolegg., I 2 p. 305, Gebauer ad Lysiae XII 15 et pp. 214, 491; itemque

phil. LXX 69 iudicavit, qui primum quidem negavit omnes eius modi locos eadem regula esse metiendos, id quod maxime valet de eis enuntiatis causalibus, quae post vocativum leguntur; saepe enim eis non causa enuntiati sequentis profertur, sed cur quis adpellatus sit, explicatur (cf. Her. III 63, Plat. Phaedo 117 a). etsi autem explicanda sententia sequitur, tamen id numquam ita fit, ut enuntiatum causale toti periodo alteri praemittatur, immo semper interponitur. ut autem nonnullis locis sententiae cuiusdam causam vel explicationem praecipiat, scriptor eo movetur, quod, si res nova vel inopinata in orationem inducitur, hoc modo animos praeparare illamque rem probabiliorem reddere potest. atque inprimis ea Herodoti consuetudo est, ut, quotiens oratio ad novam personam vel locum ante nondum commemoratum vel similia transgreditur, semper fere initio enuntiatum a γάρ incipiens inserat (Broschmann p. 43 sqq., Stein ad I 8, 4). et quia, quae praeter exspectationem accidunt, non tam consilio quam casu quodam effici solent, a Thucydide talibus locis verbum τυγχάνειν omnium maxime frequentatur; hos enim locos ego contuli I 57, 6; 104, 2; 135, 3, IIII 70, 2; 113, 2; 130, 3, V 75, 2, VIII 98, 1. sed iam quae sit ratio eius modi enuntiatorum interpositorum in singulis scriptoribus, diligentius consideremus.

Apud Herodotum, quo nemo saepius particula γάρ hoc modo usus est (Stein in Bursiani annal. XXX 218 in censura libelli Broschmanniani), maxima in ea re libertas animadvertitur, ac paene pauciora sunt exempla, ubi post talem interclusionem oratio non turbata decurrit. sed apud eum etiam semper antecedit pars periodi illius, cuius ad partem sequentem enuntiatum causale referendum est, etiamsi subinde tantummodo vocativus (I 124 ὦ παῖ Καμβύσεω, σὲ γὰρ θεοὶ ἐπορέουσι,... σύ νυν Ἀστυάγεα τὸν σεωυτοῦ φονέα τῖσαι) vel coniunctio (V 33 καί, VII 214 ἀλλά) vel tale quid (I 74 μετὰ δὲ ταῦτα, οὐ γὰρ δὴ ὁ Ἀλυάττης ἐξεδίδου τοὺς Σκύθας ἐξαιτέοντι Κυαξάρεϊ, πόλεμος τοῖσι Λυδοῖσι καὶ τοῖσι Μήδοισι ἐγεγόνεε) enuntiato a γάρ incipienti praegrediatur. atque cavendum est, ne hanc legem relinquamus eis locis respectis, quos alii errore huc rettulerunt, velut IIII 79, VI 11, quos Broschmann p. 47 proposuit, cum his locis is, qui loquitur, orationis principio comprobet, cur verba faciat (continuo enim antecedit participium λέγων). nonnusquam vero interclusio aliquam vim habet ad sequentem partem enuntiati primarii conformandam, cum haec vinculo quodam cum illa coniungatur, ita ut interclusione omissa duae enuntiati primarii partes non bene inter sese quadrent; nam saepissime ὦν sequitur (I 69, cf. IIII 149), et si tali interclusione nova persona vel novus locus in narrationem infertur, Herodotum in verbis, quae secuntur, pronomine demonstrativo ad illa nos revocare solere

---

iam docti antiquitatis grammatici, veluti Aristonicus ad H 328, ed. Friedländer p. 133 ἡ διπλῆ ὅτι ἀπὸ τοῦ γάρ αἰτιώδους εἰσέβαλεν ἀρχαικῶς, scholia B L V ad H 328 εἴωθεν ἀεὶ ἀπὸ τοῦ γάρ ἄρχεσθαι τὴν αἰτίαν προτάσσων τοῦ πράγματος· ἐχρῆν δὲ τοὐναντίον ποιεῖν, Eust. p. 349 ὅρα ὅπως προτίθεται ὁ γάρ σύνδεσμος λαμβανόμενος ἀντὶ τοῦ ἐπειδή.

animadverti (V 111, VIII 5; III 78, VI 102); VIII 101 (σὺ ὦν ἐμοὶ, καὶ γὰρ περὶ τῆς ναυμαχίης εὖ συνεβούλευσας τῆς γενομένης οὐκ ἐῶσα ποιέεσθαι, νῦν τε συμβούλευσον) autem coniunctione τὲ, si modo retinenda est, quam artissime ea, quae interclusionem secuntur, verba huic adnectuntur. difficilius etiam res se habet, si verbum, quod ante interclusionem positum coniungendum est cum altera parte enuntiati primarii, ita constructum est, tamquam e verbo quodam interclusionis pendeat (VIIII 109; I 114).

Thucydides quoque talia enuntiata semper mediam in periodum inseruit, numquam omnino praeposuit; certe unum saltem antecedit verbum (καί I 31, 2, VII 48, 2). quam vero licentiam Herodotus pro dissolutiore sermone suo admisit, eam magno opere imminuit. nullum enim apud eum exemplum invenitur, ubi post interclusionem causalem vel explicativam οὖν legitur; ac raro pronomine demonstrativo substantivum quoddam interclusionis repetitur (III 70, 3). nec vero desunt loci, quibus pars altera enuntiati primarii cum interclusione conectitur; nam IIII 132, 2 Thucydides δέ inseruit et I 72, 1 altera enuntiati pars a καί incipit. etiam graviora anacolutha etsi pauca in talibus periodis inveniuntur; velut Thuc. VIII 30, 1 prorsus comparari potest cum Her. I 24 similibusque exemplis, de quibus supra diximus. sed alii loci (I 72, 1; 115, 4 τῶν δὲ Σαμίων, ἦσαν γάρ τινες οἳ οὐχ ὑπέμενον, ἀλλ' ἔφυγον ἐς τὴν ἤπειρον, ξυνθέμενοι — διέβησαν ὑπὸ νύκτα ἐς τὴν Σάμον) non tam anacoluthon quam breviloquentiam continent atque iniuria editores (Boehme ad I 31, 2, Classen ad I 72, 1) hos quoque locos cum Herodoteis contulerunt. cum enim apud Herodotum verbum, quod ante interclusionem collocatum est, continuo cum altera enuntiati parte coniungendum sit in alium quidem casum mutatum (IIII 200 τῶν δὲ πᾶν γὰρ ἦν τὸ πλῆθος μεταίτιον, οὐκ ἐδέκοντο τοὺς λόγους pronomen τῶν δέ, quod e verbo πλῆθος pendet, dictum est pro οἱ δέ), locis illis Thucydideis genetivus τῶν δὲ Ἀθηναίων et τῶν δὲ Σαμίων non usurpatus est pro nominativo, sed ex interclusione ad eum adsumendum est verbum primarium (πρεσβεία, τινὲς), ad quod explicandum additur interclusio, in qua brevitatis causa illud verbum collocatum est. itaque his locis non enuntiati primarii pars sequens explicatur, sed verbum, quod ante interclusionem ponendum erat.

Sed haec anacolutha partim Herodoti et Thucydidis communia, partim huius propria, quae ex hoc usu particulae γάρ oriuntur, post eos non repe
riuntur. in libello de Atheniensium re publica nullum inest exemplum huius usus, quo interclusio ad sequentem enuntiati partem refertur, id quod haud dubie mero casu factum est. sed Antiphontem consulto hanc dictionem, quae ei fortasse longius a dicendi elegantia abesse videretur, evitasse credere malim; V 20 enim interclusionem a verbo ἐτύγχανε incipientem, quales interclusiones Thucydidem praemittere solitum esse vidimus, post prius membrum periodi posuit. quae autem I 11 legitur interpositio, non ad ea, quae secuntur, referenda est, sed illa verbum νῦν uberius explanatur.

Ex orationibus Andocidis quattuor eius generis locos collegi II 15, I 57, 117, III ⟨21⟩; de ultimo loco iam supra disputavimus. utroque autem loco orationis primae antecedit imperativus φέρε δή, sequitur interrogatio rhetorica, quam cur proposuerit orator, interclusione significatur. sed de primo loco (II 15 κἀγὼ, θόρυβος γὰρ δὴ τοιοῦτος ἐγίγνετο τῶν βουλευτῶν, καὶ ἐπειδὴ ἐγίγνωσκον ἀπολούμενος, εὐθὺς προσπηδῶ πρὸς τὴν ἑστίαν) copiosius est agendum. etenim Reiske Turicenses Blass Kayser (Mus. Rh. XVI 80) καί, quod legitur ante ἐπειδή, deleverunt statuentes vocula illa orationis contextum moleste perturbari; nec dubium est, quin ea explicatio ferri non possit, quam Linder p. 75 adn. 76 protulit.[1]) neque enim verbis καὶ ἐπειδή ea, quam ille vult, subest notio neque Andocidi causa aderat enuntiato ἐπειδὴ ἐγίγνωσκον ἀπολούμενος, quod paene ultro ex enuntiato praegresso eluceat neque quicquam quod mirum sit adferat, vim praecipuam tribuendi. nihilo setius si cum hoc loco contendimus Thuc. I 72, 1 τῶν δὲ Ἀθηναίων, ἔτυχε γὰρ πρεσβεία πρότερον ἐν τῇ Λακεδαίμονι περὶ ἄλλων παροῦσα, καὶ ὡς ᾔσθοντο τῶν λόγων, ἔδοξεν αὐτοῖς, quem locum pari modo eiecta particula καί sanandum esse Krueger arbitratus est, et IIII 132, 2, facere vix possumus, quin illo Andocidis loco particulam servemus. nam oblitus quodam modo propter enuntiatum interpositum initii periodi eam, quae sequitur, sententiam coniunctione καί adnectit. quodsi ea, quae apud Andocidem observavimus, complectimur, satis raro ille talia enuntiata interposuit ac semel tantum parvam inconsequentiam admisit.

Lysias quoque hos fines angustos eius usus servavit, sed numquam, quod quidem ego videam, eis, quae post interclusionem collocavit, rectam verborum structuram turbavit (I 9, XII 15, XXI 23). scriptores autem posterioris temporis magis magisque hunc usum evitaverunt et talia enuntiata aut post eam sententiam, cuius causam continent, inseruerunt (cf. And. III 29) aut in ineunte enuntiato non γάρ, sed ἐπεί aliamve huius generis coniunctionem posuerunt. ii vero, qui minus severas dicendi leges sequebantur, etiam in hac re neglegentiores erant (Xen. An. I 5, 14, III 1, 24, Ages. II 15, Plat. Prot. 317 c).

4.

Sed iam loci nonnulli mihi commemorandi sunt, quibus orationis contextus non modo eo efficitur, quod sententia antecedens explicatur et amplificatur, sed etiam secundum enuntiatum priore indicatur et praemonstratur. sunt autem complures locutiones certaeque dicendi formulae, in quibus hoc fieri solet. quod vero non minus saepe quam particula γάρ ta-

---

[1]) Καί *in* κἀγώ *ea, quae secuntur, cum eis, quae praecedunt, coniungit, id autem, quod ante* ἐπειδή *collocatum invenimus, huius ipsius vocis* ἐπειδή *significantius efferendae causa usurpatur.* καὶ ἐπειδή *est: eo ipso tempore postquam.*

libus locis asyndeton invenitur, huius simul asyndeti generis, ut hunc usum plane intellegamus et plene perspiciamus, rationem habeamus oportet. atque in ea re Andocidis usum primum videamus. is igitur post multa verba sentiendi et dicendi, quae ad quid pertineant statim breviter significari solet, alterum enuntiatum primarium ponit, quo sententia illa antea indicata fusius explanatur. talia verba sunt ἀναμιμνῄσκειν (I 19, 37, 130, [IIII] 41 βούλομαι δ' ὑμᾶς ἀναμνῆσαι τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων. ἐγὼ γὰρ πρεσβεύσας — τοὺς μὲν διαφόρους ὄντας διήλλαξα eqs.), ὁρᾶν (II 17), ἀκούειν (II 20), σκοπεῖν (III 27), quibus locis omnibus γάρ legitur, (I 92, 124, [IIII] 30), ubi asyndeton exstat; deinde διδάσκειν (I 10, 72 γάρ; I 34, 73 asynd.), λέγειν et similia (I 49, 106, 133, III 21, 36, [IIII] 23 γάρ), διηγεῖσθαι (I 117, [IIII] 25), φράζειν (III 4[1]), ἐπισκήπτειν (I 32 asynd.). quibus ex locis quamquam promiscue ab Andocide γάρ et asyndeton usurpata esse elucet, tamen ille asyndeton anteposuisse videtur, si in primis enuntiati alterius verbis particula μέν usus erat. praeterea huc referendi sunt loci, quibus pronomen vel adverbium demonstrativum antecedit, quod ad enuntiatum sequens spectat. veluti γάρ legitur post οὕτω I 34, τοσαύτην III 33, ἐντεῦθεν [IIII] 6, asyndeton post τοσοῦτον II 23, οὕτως ἔχει I 69, 105, 146, cui locutioni Andocides ea, quae secuntur, semper sine coniunctione adiecit. huc denique pertinet I 131, ubi dictum est οἰόμενος γάρ eqs., quasi antecessisset non adverbium interrogativum πῶς, sed οὕτως.

Herodotus aeque atque Andocides nulla lege adstrictus talibus locis modo asyndeton modo γάρ adhibuit et ea quoque re huic similis est, quod, ut Broschmann p. 70 ait, asyndeto tum maxime utitur, cum *bimembris est explicatio et priori comprehensionis membro per particulam μέν illato alterum opponitur per voculam δέ.* his unum addam, quod item ad Andocidem quodam modo spectat. etenim cum Herodotus post verba τάδε (οὕτω) ποιεῖν plerumque asyndeton ponat, tamen non raro γάρ invenimus, quod recte ita explicatur, ut non ea ipsa, quae fieri dicuntur, in orationem inducat scriptor, sed causam interponat, cur illa fiant vel fieri possint (II 60, III 159, VIIII 41). quam ob rem tales interclusiones semper fere asyndeton sequitur, semel tantum ὦν (I 207). similiter explicandam esse particulam γάρ And. I 25 puto, ubi ea, quae se facturum esse pollicetur orator, in enuntiato ἐγὼ οὖν eqs. exponit.

Eadem simplicitas ac libertas, quam in Andocide et Herodoto observavimus, in libello de Atheniensium re publica invenitur, ubi I 10 post φράσω, II 1 post οὕτω, 2 post τοιοῦτον asyndeton, contra I 17 γάρ post τάδε legitur.

Aliter res se habet in Thucydidis libris, qui paucis eius modi locis asyndeton admisit, saepius γάρ adhibuit. atque apud eum formulae quaedam ellipticae leguntur, quas apud illos frustra quaeras, ab oratoribus aetatis inferioris

---

[1]) Hoc loco Hirschig Phil. V 320 iniuria, id quod nemo non videt, γάρ post μέν inseri iussit; cf. de Ath. rep. I 10.

mirum quantum adamatae. tales sunt τεκμήριον δέ,[1]) σημεῖον δέ, τὸ δὲ μέγιστον, aliae, quas primo non usurpatas esse nisi adpositionis loco veri simile est (cf. Thuc. II 50, 2, Gorg. Pal. 29; v. Classen ad Thuc. I 142, 1). Thucydides vero eas formulas etiam ita construxit, ut post eas γάρ inferret (τεκμήριον δέ II 15, 4; 39, 2, III 66, 1; μαρτύριον δέ I 8, 1). atque idem de Antiphonte dici potest (V 61, VI 43).

Lysias post voces demonstrativas et post verba illa, quae supra commemoravimus, eadem fere structura utitur, quam Andocides exhibet (cf. inprimis I 22 διηγεῖσθαι cum asyndeto et XII 19 τοσαύτην cum γάρ coniuncta); sed [XX] 32 legimus ἔχει οὕτω adiecto γάρ, quem usum iam Strange ann. phil. suppl. III 29 omnino singularem esse dixit. neque vero illae formulae absunt, quibus orationes Andocideas carere vidimus (III 39 τὸ δὲ μέγιστον .... γὰρ.., XIII 20 τεκμήριον δέ· οἱ γὰρ..). accedit, quod transeundi forma pridem usitata in Lysiae orationibus primum cum γάρ coniungitur. nam quod Thuc. VI 20, 4 legimus ᾧ δὲ μάλιστα ἡμῶν προέχουσιν, ἵππους τε πολλοὺς κέκτηνται vel Lys. XXX 29 ὃ δὲ πάντων δεινότατον, ὑπογραμματεῦσαι μὲν οὐκ ἔξεστι δίς vel [And.] IIII 16 ὃ δὲ πάντων δεινότατόν ἐστι, τοιοῦτος ὢν ὡς εὔνους τῷ δήμῳ τοὺς λόγους ποιεῖται, certe non memorabile est; sed mox enuntiatum relativum, cuius pronomen ad sequentia spectabat, per se ponebatur tamquam enuntiatum primarium verbaque sequentia coniunctione γάρ adnectebantur. cuius usus prima vestigia inveni apud Lysiam (XVIIII 25, XXXII 24).[2])

Isocrates, qui omnes illas formulas iam plane novit liberoque arbitrio adhibet, omnibus fere eius modi locis ac maxime post formulas relativas, de quibus modo egimus, γάρ ponit, quod tanto opere constructioni dissolutae praefert, ut etiam post μέν particula γάρ utatur, ubi alii veluti Xenophon plerumque asyndeton admiserunt (aliter res se habet V 95). unam vero locutionem ne Isocrates quidem usquam cum γάρ coniunxit, dico οὕτως ἔχει (cf. S. Ljungdahl, de transeundi generibus, quibus utitur Isocr., p. 67). hanc rationem secutus est ille, quem maxime concinnitati artoque contextui periodorum indulsisse constat. apud posteriores autem veluti Demosthenem multo saepius eius modi asyndeta inveniuntur.

5.

Sed priusquam de causali et explicativo usu particulae γάρ agere desistimus, paucis verbis exponendum est enuntiatum a γάρ incipiens nonnumquam esse referendum non ad sententiam, quae continuo antecessit, sed ad remotiorem; id quod apud Herodotum observari potest ut aliis locis ita I 71 et VII 46, ubi verbis ἐσῆλθε γάρ με λογισάμενον κατοικτῖραι Xerxes

---

[1]) Herodotus VIII 120 plenius scripsit μέγα δὲ καὶ τόδε μαρτύριον.

[2]) Uberius de his formulis disseruit J. Kvičala in symb. phil. Bonn. p. 658 sq.; cf. Lys. XVIIII 33, XXIIII 11.

orationem Artabani quasi sine intervallo continuans causam addit eius sententiae, quam de eo ipso ille enuntiaverat. inprimis autem hic commemorandi sunt ii loci, quibus duo enuntiata, quorum utrumque a γάρ incipit, inter se excipiunt, si eorum condicio ea est, ut utrumque ad unum idemque enuntiatum praegressum spectet, veluti VII 51. tales loci in Thucydideis quoque libris reperiuntur (II 5, 4, VI 102, 2).

Andocidis loci quinque hic mihi adferendi esse videntur: I 19 (ἔλεξαν γὰρ), 38, 73 (ubi coniunctione γάρ ad διδάξω revocamur), quibus locis γάρ illud longius remotum explicativum est, 101 (iudicium istud non multo diversum esse a iudiciis, quae XXX viri habuerint, duplici ratione demonstrat orator; dicit enim Epicharem tum se accusaturum fuisse: εἰ γὰρ τότε ἠγωνιζόμην, τίς ἂν μου κατηγόρει; οὐχ οὗτος ὑπῆρχεν ...; atque eundem nunc quoque idem agere: καὶ γὰρ νῦν), III 35 (enuntiatum οὐ γὰρ μόνον, ὦ 'Α., πρὸς γράμματα τὰ γεγραμμένα δεῖ βλέποντας πρεσβεύειν ἡμᾶς eqs. sine dubio causam continet, cur ipse Andocides ceterique legati laudandi sint, quod, quamquam quidlibet decernendi et paciscendi potestatem accepissent, tamen rem Atheniensium arbitrio permiserint: μᾶλλον ἐπαινεῖν ἢ ψέγειν, εἰ πεμφθέντες αὐτοκράτορες ἔτι ἀπεδώκαμεν ὑμῖν περὶ αὐτῶν σκέψασθαι; enuntiato autem interposito, quod certe submissiore voce pronuntiatum est, exponitur, quod negotium ex illa legatorum modestia Atheniensibus ortum sit). cum hoc loco componere expedit de Ath. rep. I 8; verba enim ὁ γὰρ δῆμος οὐ βούλεται εὐνομουμένης τῆς πόλεως αὐτὸς δουλεύειν ad enuntiatum continuo praegressum sive explicandum sive comprobandum referri plane non possunt, neque, nisi forte post hoc enuntiatum mente supplemus: *id autem maximi est momenti*, quae prorsus nova sententia est, quam scriptor omittere omnino non potuit, fieri potest, quin hic quoque statuamus sententiam illam neglecto antecedenti enuntiato consecutivo referendam esse ad verba ἡ τούτου ἀμαθία καὶ πονηρία καὶ εὔνοια μᾶλλον λυσιτελεῖ ἢ ἡ τοῦ χρηστοῦ ἀρετὴ καὶ σοφία καὶ κακόνοια.

Eius modi periodi etiam apud posteriores passim inveniuntur. veluti Xen. An. V 6, 4 et Isae. X 12 similiter interpretari velim (verba καὶ μὲν δή, ὦ ἄ., οὐδὲ Ἀριστομένει γε οὐδὲ Ἀπολλοδώρῳ — ἐξῆν locum interpositionis obtinent et enuntiatum θαυμαστὸν γὰρ ἂν ἦν causam continet enuntiati παρανόμως καὶ ἀσελγῶς ἔχουσι τὰ τῆς μητρὸς χρήματα). attamen qui elegantiori dictioni studebant, in hac structura duri aliquid inesse sentiebant. qua de causa Isocrates aut talia omnino vitavit aut perparva interposuit enuntiata, quae gravitate ceteris inferiora esse omnes statim animadverterent (VII 63/4, XVIII 4/5). accedit, quod γάρ illud longius remotum ab eo enuntiato, ad quod pertinet, omnibus fere locis Isocrateis explicativum est, quo transitus fit ad novam orationis partem, qua re, quae inest in ea conformatione duritia, magis etiam mollitur.

III.

Usum confirmativum particulae γάρ, quem tu forsitan dicas ut primitivum primo loco mihi tractandum fuisse, ad extremum reservavi, quia omnibus, qui in censum veniunt, locis diligenter examinatis intellexi eum longe esse rarissimum. in nulla autem re maior est grammaticorum dissensio. etenim alii, in quibus est Sernatinger, ullum praeter causalem et explicativum usum inveniri prorsus negant, quamquam ille ipse iam in carminibus Homericis notionem illam quibusdam locis veluti in enuntiatis optandi oblitteratam esse nec facile posse cognosci concedit; alii rursus, quorum princeps est Hartung, cui magis minusve adstipulati sunt Baeumlein et Kuehner et maxime Schraut, confirmativo usui nimium tribuerunt. inter quas sententias extremas mediam quasi viam iniit Gerth.[1]) ego vero haud scio, an potius aliter explicandum sit, qui fiat, ut quibusdam locis, quibus vis causalis vel explicativa particulae γάρ nullo pacto, nisi audacissime quaedam suppleveris,[2]) statui potest, γάρ more adverbii confirmativi, ut videtur, usurpetur. nam cum is usus etiam inferiore aetate certis atque angustis finibus circumscriptus sit et loci, quibus admittitur, veluti interrogationes et responsa, ita sint comparati, ut causalem sententiarum conexum, etiamsi adest, statim perspicere et γάρ ad eum referre difficile sit, suspicari licet e talibus locis secundum falsam analogiam, quam dicunt, eam libertatem natam esse, ut particula γάρ sine ulla dubitatione similibus etiam locis, quibus nullus causalis sententiarum conexus suberat, adhiberetur. huc pertinent tantummodo enuntiata optandi, interrogationes nonnullae, pauca responsa et allocutiones, denique enuntiata, in quibus particulae ἀλλὰ γάρ coniunctae leguntur. de quibus omnibus nunc agemus ita, ut unum quidque seorsim tractemus atque in singulorum scriptorum consuetudinem accuratius inquiramus.

1.

Enuntiata, quibus optata continentur, interdum incipiunt a particulis εἰ γάρ, quae dicendi ratio semper in usu mansisse videtur (Her. I 27, Xen. Cyr. VI 1, 38, Plat. Crito 44 d), quamvis pauca eius apud scriptores exstent exempla. tale γάρ Wetzell l. s. c. p. 37 repperisse sibi visus est Ant. V 36 in.

---

[1]) Qui in Bursiani annal. XV 273 haec ait: *Niemand wird leugnen, dass man da, wo ohne Künstelei die causale Bedeutung durchzuführen ist — und dies ist meiner Ansicht nach in der Mehrzahl der betreffenden Beispiele möglich —, von einem Zurückgehen auf ältere Stufen absehen muss. Anders aber gestaltet sich die Sache, wo jene Bedingung nicht mehr zutrifft, z. B., um die beiden klarsten Fälle hervorzuheben, in den Frage- und Wunschsätzen. Da Sernatinger selbst γάρ aus γ᾽ ἄρ᾽ entstanden sein lässt, so durfte er die Vermuthung, dass diese Entstehung der Partikel in manchen Gebrauchsweisen ihre Spur hinterlassen habe und für die Interpretation zu verwenden sei, nicht principiell abweisen.*

[2]) Quam interpretandi rationem sane artificiosam acerrime impugnavit Hartung V 3 § 2 p. 470 sq.

et 86, quod eum fefellit; utroque enim loco γάρ causalem sententiarum conexum indicat.[1]) neque in locutione φέρε γάρ is particulae γάρ usus conspicitur, etiamsi ea apud scriptores posteriores tam sollemnis est, ut facile suspiceris particulae γάρ adpositae vim causalem non semper intellectam esse; sed Ant. V 36 manifesto dubitatione φέρε γὰρ δὴ ποτέρῳ νῦν χρήσονται τῶν λόγων; causa significatur, cur accusatores servum necare non debuerint.

2.

Venimus ad interrogationes. inprimis hic nominandae sunt formulae illae ellipticae πῶς γάρ (οὔ); οὐ γάρ; quae Herodoto et Thucydidi nondum notae aut certe acceptae, sed ab Antiphonte iam usurpatae (V 41, item Gorg. Pal. 21) etiam postea in usu erant (Lys. I 27, Isae. VIII 30, Xen. Comm. IIII 6, 14, Pl. Gorg. 480a). in his formulis, quarum vim optime intellegemus, si eius modi interrogationes plene expressas comparabimus (Her. III 81 τῷ δὲ οὐδὲ γινώσκειν ἔνι· κῶς γὰρ ἂν γινώσκοι, ὃς...; Isocr. IIII 83), sine dubio causalis vis particulae γάρ valet. sed cum eae postea ex consuetudine frequentius nulla puto originis ratione habita usurparentur, et cum saepe ratio particulae γάρ in interrogationibus positae ad intellegendum difficilior esset nec primo obtutu causalis eius vis percipi posset,[2]) talibus locis utique γάρ iam re vera confirmativum esse videbatur. itaque apud posteriores scriptores et breves formulas reperimus (ἦ γάρ; Plat. Euthyphr. 10e, Phaedr. 263 a, τί γάρ; Xen. Comm. II 6, 2 et 3, An. V 7, 10) et tota enuntiata interrogativa (Xen. Comm. I 4, 14), in quibus γάρ reapse vim confirmativam prae se fert.

3.

Praeterea in diverbiis si quis loqui incipit aut respondet, atque eis etiam locis, quibus diverbium ab oratore arte tantum fictum est, γάρ confirmativum interdum invenitur. sed in hac quoque re statuenda multi velut Kuehner nimii fuerunt; non enim in eo numero habendi sunt ii loci, ubi quis causam addit sententiae ab altero prolatae (Plat. Euthyd. 298 b), aut responsum, quod ipsum

---

[1]) V 86 enuntiatum causale ἠξίουν μὲν γὰρ eqs. ad prius membrum periodi antecedentis referendum est (cf. huius dissertationis p. 152); nam orator iudices orat, ne in hac causa, quae contra leges instituta sit (§ 8), opinione temere concepta ducantur, cum velit, ut secundum leges de se iudicium fiat.

[2]) Velut Xen. Comm. III 5, 15 quaeritur, quo modo sententia antecedens iure enuntiari potuerit. Oec. XVIIII 2 sententia, quae interrogationi οὐ γὰρ σὺ ἐπίστασαι; subest, ipsa causa continetur, cur Socrates ea, quae praecedunt, praeter opinionem dixerit. sed si quis minus accurate hos locos inspiciat, facile eum causalis sententiarum conexus praetereat. Cyr. V 1, 9 adulescentulus ille dicit, qua causa et ratione commotus Cyrus ea, quae antecedunt, locutus esse sibi videatur. si vero sententias ipsas circumspicimus, adulescentuli responsum ea continet, quae e verbis Cyri colligi possunt. vides non esse, quod credas Karlowae, Bemerkungen zum Sprachgebrauch des Demosthenes mit Berücksichtigung anderer attischer Redner, p. 4 vim conclusivam primitivam particulae γάρ fuisse.

omissum est, aliqua re comprobare conatur; cf. supra p. 152 (Ant. V 37 in., quo loco γάρ esse confirmativum Wetzell p. 37 iniuria statuit, Lys. I 35, III 36, Xen. An. I 6, 8). quibus locis sublatis pauci tantum restant, quibus scriptorem de ipsa vi causali particulae γάρ iam non cogitasse constat. et in antiquioribus quidem Atticis sola fere locutio ἐγὼ γὰρ οἶμαι multum variata huc numeranda est, quae responsi locum obtinet. prima eius exempla sunt Ant. V 57 οἶμαι μὲν γὰρ οὐδένα et And. I 129 οἶμαι γὰρ ἔγωγε οὐδένα οὕτως ἀγαθὸν εἶναι λογίζεσθαι, ὅστις ἐξευρήσει τοὔνομα αὐτοῦ; postea ea legitur Lys. IIII 7, XXVI 7, Dem. XIIII 12, XXI 158. cuius generis exempla omnia talia sunt, ut rationem causalem inter responsum et interrogationem praegressam intercedentem non reperias, nisi enuntiatum aliquod cogitatione extrinsecus inducas. apud scriptores autem aetatis inferioris hic usus iam latius patet, cf. Xen. Comm. IIII 2, 6 initio orationis, Plat. Conv. 214 b καὶ γὰρ σύ, Euthyd. 298 c μὴ γάρ in responsis. atque eam potissimum consuetudinem tum exstitisse animadverti, ut, qui responderet, si interrogationis verbum gravissimum repeteret, ad hoc responsum adponeret γάρ saepe cum οὖν coniunctum, cf. Xen. Oec. XVIIII 1 ἔστι γὰρ οὖν, Comm. IIII 6, 14 φημὶ γὰρ οὖν, Cyr. V 5, 16 ἦλθες γὰρ οὖν, Plat. de rep. IIII 445 b γελοῖον γάρ, Theaet. 187 e φαμὲν γὰρ δή; quo in numero formula quoque οὐ γὰρ οὖν aliquo iure haberi potest, cf. Xen. Comm. IIII 6, 3, Plat. Euthyphr. 2 b.

Quodsi omnia, quae hucusque disputavimus, complectimur, id quidem nobis constat usum confirmativum particulae γάρ paucis locis certae condicionis contineri eumque superiore aetate rarum ac multo rariorem, quam plerique statuerunt, fuisse. velut inter omnia huius usus exempla Thucydidia, quae Saeve p. 6 enumeravit, — sunt autem plus centum — ne unum quidem iure huc referri potest.

4.

Supersunt particulae coniunctae ἀλλὰ γάρ, de quibus sententiae non minus discrepant quam de γάρ confirmativo universo. sunt enim, qui etiam hic γάρ mere causale esse adfirment, veluti Krueger Thuc. II 260, Gebauer in ed. Lysiae p. 491, Ljungdahl p. 39, Schneider in ed. Isocr. I 91. atque ut aliquam veri speciem opinioni suae adiciant, ad tam artificiosas violentasque ellipses confugere coguntur, ut, si eas omnino ad interpretandum adhibere liceat, hoc modo quidvis possis demonstrare. veluti Gebauer in ed. Lys. p. 491 talia supplet: *aber dem ist nicht so: denn, aber nichts weiter davon: denn, aber damit hat es keine Gefahr: denn, allein damit kann ich noch nicht schliessen: denn auch Folgendes gehört hieher.* at ut largiamur priores illas sententias omitti et suppleri posse,[1]) hanc extremam mente intellegi posse quis quaeso concedat? qua de causa ut consentio coniunctionem ἀλλὰ γάρ per

---

[1]) Id quod Gebauer ad Lys. XXV 17 probare studet, cum haec dicit: *γάρ motiviert den Abbruch, nicht eigentlich einen zu ergänzenden Zwischengedanken, dessen Supplierung nur für unser Denken das Verständnis der begründenden Partikel nach der adversativen fördert.*

transgressionem inde ortam esse, quod post ἀλλά enuntiatum, in quo alterum locum γάρ obtinebat, collocabatur enuntiatumque, quod particulae ἀλλά adiungendum erat, omittebatur, si facile sua quasi sponte neque ullo negotio suppleri poterat, veluti Xen. Cyr. II 1, 13, ita eo ipso, quod γάρ continuo post ἀλλά inserebatur, elucere causalem eius vim iam non perspectam esse persuasum habeo; quam ob rem explicationem Broschmanni (p. 59), qui compluribus locis verbis, quae enuntiatum ab ἀλλὰ γάρ incipiens secuntur, id enuntiatum contineri contendit, quod ad ἀλλά referendum sit, nullo pacto ferri posse arbitror, praesertim si in initio eius alia coniunctio legitur, veluti Her. III 152.[1])

Sed ut iam in usum ipsum particularum ἀλλὰ γάρ accuratius inquiramus, scriptoribus dialecti Ionicae is non erat ignotus. nam in scriptis Hippocrateis aliquotiens eas inveniri Kuehlewein, observationes de usu particularum in libris Hippocrateis p. 44 testatur; et Herodotus, apud quem eundem particulae illae alio verbo interposito leguntur (cf. VII 158 ἀλλ' εὖ γάρ, VIIII 27 ἀλλ' οὐ γάρ), quam fortasse formam primitivam eius conformationis fuisse supra ostendimus, iam satis saepe eis usus est, veluti II 139, VIIII 113.

Diversam rationem antiquissimi scriptores Attici sequebantur, quippe qui illud ἀλλὰ γάρ vitasse videantur, quod tum quidem magis sermonis vulgaris quam culti fuisse suspicor. legitur enim tantummodo Gorg. Pal. 32 et Ant. V 62 et ex omnibus Thucydidis libris unus locus adferri potest VI 77, 1, ubi particulae ἀλλά et γάρ vocula οὐ disiunguntur. in libello de Atheniensium re publica et Andocidis orationibus II. et III. ne unum quidem eius rei exemplum legitur. sed in prima Andocidis oratione, quam maxime a polito elegantique Atticorum dicendi genere recedere, quia tum Andocides ab exilio quindecim fere annorum modo Athenas reverterat, magis magisque mihi persuadeo, VIIII locis ἀλλὰ γάρ legitur: §§ 22, 23, 72, 101, 103, 124, 128, 130, 132, quo accedit [IIII] 37, quorum inprimis ii, qui exstant §§ 72 et 124, causalem interpretationem non admittunt. neque inutile est aliam orationem, [Lys.] VI κατ' Ἀνδοκίδου, cum hac comparare eodem tempore habitam, quam qui scripsit, eadem qua antiquiores consuetudine utitur. in ea enim numquam γάρ continuo iuxta ἀλλά est collocatum, sed semper hae particulae uno verbo interiecto disiunguntur: 40 ἀλλὰ Λακεδαιμόνιοι γάρ, 48 ἀλλὰ πλουτῶν γάρ, 50 ἀλλ' ἐστὲ γάρ.

Sed mox haec plane mutata sunt. etenim postquam Lysias, qui cum Andocide primus Atticorum hanc conformationem frequentius adhibuit, eam in loquendi genus, quod erat in orationibus, induxit, Isocrates eam ad varias figuras construendas adhibere consuevit, de quibus praeter Gebauerum disputavit Ljungdahl pp. 57, 59, 65. atque in dies etiam magis ei favebat,[2]) ita

---

[1]) Ceterum cf. Gebauerum in ed. Lys. p. 491 sq., qui, quibus consiliis oratores Attici his voculis coniunctis usi sint, exponit inde a p. 486.

[2]) Cf. quae dicit Fuhr Mus. Rhen. XXXIII 334: ἀλλὰ γάρ *liebt Isocrates sehr, besonders in den späteren Reden.*

quidem ut nonnullis eius orationum locis ἀλλὰ γάρ particulam μέν excipiat, cf. V 35. atque ex eo tempore ἀλλὰ γάρ iam in usu permansit plurimique loci testimonio sunt, quanto opere has voculas consociatas adamaverint scriptores Attici; cf. Xen. An. III 2, 25; 26; 32, Plat. Apol. 19 c, d, 20 c.

IIII.

Iam postquam de ἀλλὰ γάρ egimus, alteram eius modi conformationem examinemus, dico καὶ (οὐδὲ) γάρ. ceterum particula γάρ cum aliis quoque eius generis voculis coniungebatur, veluti legimus γὰρ οὖν, γὰρ δή, γάρ τοι, γάρ γε. atque de γὰρ οὖν et γὰρ δή infra exponemus; ceteras, quae nihil, quod memoratu dignum sit, praebent, omittere placet.

Duo quae sunt genera usus particularum καὶ (οὐδὲ) γάρ tam plana sunt, ut, si sola apud antiquos invenirentur, non haberemus, quod de ea re verba faceremus. nam καί (οὐδέ) aut vim adverbialem habet *(auch, sogar, nicht einmal)* aut alterum καί ei respondet. sed sunt loci, ad quos neutra quadret explicandi ratio, sed quibus καὶ (οὐδὲ) γάρ a simplici (οὐ) γάρ vix diversum esse videatur, cf. Kratz Zeitschr. f. Gymn. XX 599 sqq., Kuehner p. 855, adn. 2. hunc usum, ex quo tempore primum in scriptis Atticorum invenitur, persequi operae pretium est. namque non iam ab initio eum valuisse per se patet. sed si scriptores perscrutabimur, cavendum erit, ne ad hunc usum eos locos referamus, quibus, quamquam ea res hunc vel illum grammaticum fugit, et καί (οὐδέ) et γάρ suam utrumque vim servavit.[1]) etenim ut locos per se dilucidos, in quibus plerumque gradatio inest, praeteream, si quid scriptor similitudine alius cuiusdam rei comprobat (Thuc. I 40, 5) aut causae veritatem premit (*auch wirklich* Thuc. III 108, 2) aut si ad causam iam commemoratam addit aliam, quod etiam in argumenta ex contrario petita cadere solet, quae ob eam rem saepius particulis καὶ γάρ inducuntur (v. Gebaueri libri p. 88 sq.), ea omnia vocula καί significantur. quibus praemissis rectius de singulis locis iudicabimus.

Si in Herodoti usum inquirere volumus, optime proficiscemur a libello Broschmanni, qui p. 52 sqq. locos, qui huc pertinent, enumeravit et in duo genera distribuit ita, ut examinaret, utrum καί vim propriam servasset necne. tribus tantum ille locis καί cum γάρ quasi coaluisse animadvertit VI 77, VII 9, 223. ego vero ne id quidem concedere possum, cum mihi quidem locos illos

---

[1]) Luculentum, quanta opus sit in ea re cautione, exemplum adferam. si quis Xen. Ages. II 15 legerit καὶ γὰρ ἦν ἤδη ὀψέ, facile καὶ γάρ pro simplici γάρ usurpatum esse opinari possit; sed comparato Thucydidis loco simillimo VIII 61, 3 ἤδη γὰρ καὶ ὀψὲ ἦν quis dubitet, quin utroque loco particula καί significetur ad causam in rerum condicione ipsa positam id quoque accessisse, ut iam serum diei esset?

perscrutato constet et in eis adverbialem vim particulae καί subesse.[1]) neque vero eadem ratione omnes ii loci expediri possunt, quibus καὶ γὰρ (δὴ) καί legitur. cum enim in quibusdam utrumque καί (οὐδέ) per se valeat,[2]) quae res Broschmannum fugit, permultos tamen esse locos negari non potest, ubi utrumque καί per se explicari prorsus non possit. cuius generis sunt VII 236, VIII 25; cf. Broschmann p. 53. sed talibus locis, quibus solis, ut demonstrasse mihi videor, καί ante γάρ supervacaneum haberi possit, Herodotum non tam καὶ γάρ quasi simplicem coniunctionem accepisse quam prius καί cum altero mente coniunxisse arbitror, qua particula iterata enuntiati vim augeret. non enim καί ita, ut non utrumque propriam habeat vim, ab Herodoto duplicatur, nisi si idem quod *etiam* significat, quod per se ipsum gradationem efficiens hanc vim illo modo exaggerari facile, ut ita dicam, patitur. nusquam vero καὶ γὰρ καί apud Herodotum nihil aliud est quam *namque et (— et)*, id quod, si καὶ γάρ coniunctio causalis esset et alterum καί solum propriam vim haberet, item commode itemque saepe fieri potuit. quos autem locos fortasse Broschmann nobis opponet, dico I 163 et VI 108, eos supra alio modo interpretati sumus. accedit, quod Herodotus, ubicumque καὶ γὰρ καί ita usurpavit, ut particulis *namque etiam* reddendum esse videatur, δή inseruit, qua re eum non de coniunctis particulis καὶ γάρ sed καὶ δὴ καί cogitasse manifestum fit.

Thucydidios autem locos, quos considerare nostra interest, Saeve p. 9 sqq. cum satis magna diligentia congessit, sed non bene digessit. nam et hic, quod supra monuimus, multos locos iniuria eis adnumeravit, quibus καὶ γάρ similiter atque *etenim* unam causae significationem habere statuit. ceterum etiam praeter locos istos, quos collectos exhibuit litteris *a)* et *d)* significatos, alios falso tractavit. velut IIII 98, 6 eis locis adnumeravit, quibus particulae καί particula copulativa respondet (τὲ): ego rectius, nisi fallor, hoc καί ita explicandum esse puto, ut similitudo eorum, qui belli turbulentis tempestatibus iactati temere agant (οἱ ἀπὸ τῶν ξυμφορῶν τι τολμήσαντες), et qui inviti tale quid faciant, osten-

---

[1]) VI 77 sententia haec est: *Argivi non proelium pertimescebant, sed malam fraudem cum per se ipsam tum quia illud oraculum editum erat;* VII 9 in. argumentum ex contrario est, de quo genere supra exposuimus; 223 voce καί dicitur mandatum ipsi facto par fuisse.

[2]) VI 108 priore καί significatur, praeterquam quod Plataeenses in eo tempore Atheniensibus auxilio venire consentaneum fuerit, alias adfuisse causas, quae deinde duplici καί inter se iunguntur. I 163 altero καί, sicut opes subministratae non parcae fuissent, ita etiam ambitum muri non paucorum fuisse stadiorum Herodotus dicere voluit; alteri καί in eis, quae secuntur, τοῦτο δέ respondere recte Stein et Broschmann viderunt. II 107 duplex καί suum habet locum: quod etiam uxor eius aderat *(auch)* praeter exspectationem *(sogar)*, quia antea eam invitatam esse dictum non erat (αὐτὸν καλέσαντα καὶ πρὸς αὐτῷ τοὺς παῖδας). IIII 16 priore οὐδέ declaratur Aristeam quoque ipsum sicuti ceteros hanc terram non vidisse, altero οὐδέ gradatio indicatur (οὐδὲ γὰρ οὐδέ *denn auch nicht einmal)*, quia de Aristea magis illud quam de ceteris exspectari poterat. quae interpretatio, qua utrique οὐδέ sua tribuitur vis, eo quoque confirmari mihi videtur, quod mox tertium οὐδέ sequitur.

datur, quorum utrisque a diis certe facinorum veniam dari. verum talia, quia minoris ad nostram disputationem momenti sunt, neglegere licet; contra accurate eos locos examinemus, quibus καὶ γάρ *etenim* significare Saeve contendit. ex eis igitur locis, quos sub littera *a)* congestos proposuit, cum eis locis, quibus post καὶ γάρ altera coniunctio copulativa posita invenitur, adferendi erant sub litt. *c)* hi: I 136, 4 (καὶ γὰρ — καὶ ἅμα), III 112, 4, IIII 85, 6, quem locum utrumque etiam ipse Saeve sub *c)* iterum protulit; ceteris locis particulae καί vis adverbialis subest.[1]) omnibus ergo locis examinatis pro certo adfirmare licet numquam Thucydidem voculas καὶ γάρ coniunctas, quasi essent una particula causalis, neglecta vi particulae καί usurpavisse, quod iam Classen divinasse videtur; v. adn. crit. ad III 54. neque haec sententia inrita fit, si in voculis καὶ γὰρ καί (Saeve § 1, *d)* eum non eandem rationem secutum esse inveniemus. in qua conformatione quamquam nonnusquam utrumque καί propriam

---

[1]) Quae nullo paene negotio his locis intellegitur: I 75, 2 (ubi καί referendum est ad ἐλάβομεν οὐ βιασάμενοι), 4 (recte Classen: *denn sonst würden sogar*), 92 *(sicut iram non prae se tulerunt, ita etiam omnino se Athenienses impedire voluisse dissimulaverunt)*, II 4, 2; 61, 1, III 54, 4 (quo loco non cum Classeno ita interpretari velim καί, ut ei τὲ, quod post εἰ legitur, respondeat, sed referendum esse censeo ad participium ὄντες ita, ut vim eius concessivam urgueat), 108, 2 (quod exemplum iam supra protulimus), VI 102, 3; 103, 3, VII 11, 3; 42, 4 (οὐδέ *nicht einmal* cum ὑπομεῖναι continuo sequenti coniungendum est), 6 (Cl.: 43, 1), 48, 3, VIII 8, 4 (καί ad ἐκ τοῦ προφανοῦς spectat), 65, 2 (referendum est καί ad ea, quae continuo secuntur). sed his locis ratio, quae inter καί et loci sententiam intercedit, paulo obscurior est, quae res in Thucydide sane non mira videbitur: I 73, 2 orator res bello Persico gestas sibi commemorandas esse dicit, quia scilicet Atheniensibus id nunc utile futurum esse sperat. quam sententiam non expresse addit, sed eo demonstrat, quod etiam tum, cum res illas perfecerint, ea re salus allata sit universae Graeciae. hoc modo, si contrariam illam sententiam eum respexisse ponimus, id quoque optime explicatur, quod verbis a re ipsa aliquantulum alienis (ὅτε ἐδρῶμεν et ἐπ' ὠφελίᾳ) usus est pro simplici τότε et planiore locutione ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς Ἑλλάδος. 141, 6 καί mihi non, ut Kratzio explicatione carere videtur; etenim Peloponnesii inferiores sunt nec quicquam ad finem perducere possunt, cum non unius imperio coerceantur, sed omnes simul, qui ne gentis quidem unius sunt, dominentur et rem gerant. alterum accedit argumentum, quod alius aliud spectat et persequitur *(denn zudem)*. IIII 126, 4 non adsentior Classeno, qui cum Torstrickio τολμηρότερον reprehendentis esse arbitratur; ego enim ut nescio, num ducis copias breviter cohortantis sit memorare audaciam nonnumquam esse perniciosam, ita dubito, utrum meliore cum eventu pugnetur, si milites edocti de virtute hostium (nam ea hoc loco sine dubio verbo ἀγαθόν significatur) cautius rem gerunt, an, si eius rei ignari quadam temeritate acrique impetu in hostes invehuntur. his aliisque de causis, quas enumerare longum est, Brasidam duobus membris contrariis, quorum in extrema parte similitudine (ἐθάρσυνε μᾶλλον — τολμηρότερον προσφέροιτο) similis interpretatio commendatur, exposuisse puto, quando utile, quando inutile esset copias de hostibus edocere. particula autem καί in priore membro, quam Classen item perperam intellexit, per transgressionem ad participium concessivum τῷ ὄντι ἀσθενῆ ὄντα referenda est. his locis unum ipse adicio difficiliorem, quem Saeve cum aliis, qui quidem planiores sunt, praeteriit, dico IIII 114, 3. Brasidas cum iniustum esse denuntiat eos, qui suas partes sequantur, in perfidorum civium numero habere, unicam etiam simul rationem talis existimationis tollit.

vim servavit (*namque etiam et — et* IIII 83, 3), tamen pluribus locis respondet Latino *namque etiam* (IIII 108, 4, V 7, 5 καὶ γὰρ οὐδέ, VIII 64, 4), numquam vero Latino *namque et — et*. unde sicuti apud Herodotum elucere videtur καί non cum γάρ, sed cum altero καί esse coniungendum, praesertim cum verba καί τι καί, quibus Thucydides γάρ saepe interposuit (IIII 31, 2, VI 61, 2 τὶς, 103, 4 τινὰ), apud eum etiam γάρ non adiecto ita, ut eadem eorum sit significatio, legantur, cf. I 107, 6.

Nullo igitur loco librorum Herodoti aut Thucydidis particulis καὶ γάρ simplex causalis vis tribuenda est, ceterique illius aetatis scriptores intra eosdem fines eius usus se continuerunt. nam de tribus locis, quos in declamationibus Gorgiae repperi, Pal. 18 καί aperte adverbialem vim *etiam* habet (similiter 6 οὐδὲ ⟨γάρ⟩), Pal. 29 et 32 καὶ γὰρ οὐδέ legitur, quod etiam Thucydides habet (V 7, 5) et posteriores (Isocr. XV 9); apud Herodotum potius οὐδὲ γὰρ οὐδέ invenire consuevimus. et quidem illo loco (Pal. 29) utraque vox per se valet, et καί, quo accusator eis adnumeratur *(auch)*, qui nihil, quod verum esset, Palamedi crimini dederunt, et οὐδέ, quo gradatio indicatur *(nicht einmal)*; hoc (Pal. 32) καί et οὐδέ coniungenda sunt ita, ut una efficiatur notio maiore vi exornata.

Antiphontem quinque locis scripsisse καὶ γάρ, tribus οὐδὲ γάρ repperi: I 25 huic καί alterum respondet, IIII γ 5, V 58, 81, fortasse etiam in fr. XV 49 adverbialis vis particulae καί statuenda est; deinde tribus locis legimus οὐδὲ γάρ: II a 7 οὔτε, quod in codicibus est, restituendum esse mihi videtur, III γ 2 voce οὐδέ significatur causam esse unam de pluribus, V 57 *(quippe ne ulla quidem simultas inter me et illum erat)*.

In libello de Atheniensium re publica haec conformatio uno tantum loco legitur I 2, ubi eam quater καί sequitur.

Nec multo saepius quam ceteri Attici antiquiores Andocides καὶ γάρ exhibet; nam in II. oratione non legitur: exstat in I. §§ [29,] 101, 119, 142, 143, in III. § 21; denique [IIII] 34 voculis καὶ γάρ in eis, quae secuntur, καί respondet. manifesto autem adverbialis significatio conspicitur I 101, 142, 143; deinde I 29 et III 21, quos locos aliis quoque de causis corruptos esse vidimus, ita restituere conati sumus, ut illic coniunctio καὶ γάρ seiungendo omnino tolleretur, hic eis particulis significatio *namque etiam* redderetur. eadem coniunctionis vis I 119 cognoscitur, dum modo sententiarum contextus bene intellegatur. Andocides Leagro persuadere studet, ut alteram filiam avunculi mortui in matrimonium ducat; quia vero Leagrum huic consilio non valde favere bene scit, hoc non extemplo profitetur, sed magna cum sollertia viam sibi praemunit. haec igitur dicit: *aequum non est nos has aspernatos alias uxores habere*, simulque cogitat: *immo has ipsas ducamus uxores necesse est; idem enim etiam faceremus easque habere nostrum esse putaremus, si condicio earum minus tristis esset.*

Ex eis, quae hactenus disseruimus, satis puto adparet primo coniunctionem καὶ γάρ usque in Andocidis tempora, sicut natura fert, ita esse usurpatam, ut utrique particulae sua vis magis minusve perspicue tribueretur. quia vero iam tum, si alterum καί accedebat, saepe, ut vidimus, unum καί supervacaneum videbatur, facile fieri potuit, ut vulgo καί ante γάρ positum non, ut debebat, cum altero καί mente coniungeretur, sed καὶ γάρ pro γάρ dictum esse et alterum modo καί propriam vim habere putaretur. hoc modo, qui factum sit, ut postea καὶ γάρ quasi una coniunctio causalis adhiberetur, rectius explicasse mihi videor, quam Kratz et Kuehner.[1]) ita etiam aliquanto melius intellegemus, cur haec coniunctionis καὶ γάρ significatio etiam eo, quod continuo sequebatur, tempore admodum fuerit rara et multo rarior per omne tempus quam utraque significatio, quae coniunctioni illi re vera convenit.

Oratores Attici ubi καὶ γάρ ita usurpabant, ut vis particulae καί fere evanesceret, τοὶ adponere solebant, velut Lys. XXVII 10 (ubi verbis, quibus dicit, qua ratione sola commotus sententiam antecedentem enuntiaverit, magno cum pondere repetit, quae paulo ante locutus erat), Dem. VIII 66, XXIII 200. sed etiam eis locis καὶ γάρ τοι legitur, quibus καί suam vim servavit, cf. Dem. XVIIII 56. uno verbo commemorandum est particulas καὶ γάρ τοι illo tempore ab Isocrate potissimum praepositas esse enuntiatis, quibus haud dubie consequentia continetur, id quod Isocr. VII 35 et 69 subiectis verbis διὰ τὴν γνώμην ταύτην praecipue manifestum est; cf. X 37, Lys. XXX 4, Dem. IIII 6. hanc dicendi consuetudinem Schneider in ed. Isocr. I 86 ita explanat, ut ante talia enuntiata sententiam esse supplendam contendat, velut *das ist aus den Folgen ersichtlich;*[2]) ego vero de eius modi supplementis dubitans potius credam similitudinem, quae coniunctioni καὶ γάρ τοι est cum particula conclusiva τοιγάρτοι, in causa fuisse, cur illa huius locum interdum occuparet, et Isocrati, artifici illi dicendi, quippe cui syllaba τοι iterata videri posset molesta, καὶ γάρ τοι magis adrisisse. ad huius fortasse exemplum postea etiam καὶ γὰρ οὖν vim conclusivae particulae τοιγαροῦν accepit, velut Xen. An. I 9, 8; 12.

---

[1]) Kratz Zeitschr. f. Gymn. XX 602 haec dicit: *Das einfache γάρ gebraucht der Grieche zur Begründung oder Erklärung eines anderen Satzes oder Gedankens; aber dieser durch γάρ eingeführte Begründungssatz trägt seine Bedeutung nicht in sich selbst, sondern ist nur da um des zu begründenden willen, ohne welchen er nicht wäre, und welchem er zwar nicht äusserlich der grammatischen Structur nach, wohl aber logisch untergeordnet ist. Es kann aber das Bedürfnis eintreten, einen solchen Satz, auch wenn er zunächst begründender oder erklärender Natur ist, doch auch zugleich als etwas an und für sich selbst Bestehendes hinzustellen; zum Ausdruck dieser selbständigen Bedeutung nun bedient sich die Sprache der einfach zufügenden oder beiordnenden Partikel neben der begründenden.* similiter rem illustrat Kuehner p. 855.

[2]) Sic Frohberger Lysiae XXX 4 hanc sententiam obtrusit: *Es ist schlimm, dass er nicht zur Rechenschaft gezogen wurde; denn auch jetzt ist er, durch seine Straflosigkeit dreist gemacht, in den alten Weg eingelenkt.*

Sed iam ea aetate ii, qui minorem orationi perpoliendae operam dabant, καὶ γάρ maiore cum libertate usi sunt, ita ut non multum a simplici γάρ distaret, cf. Xen. An. I 1, 6; 8, 21, II 6, 2, Comm. I 2, 31 οὐδὲ γάρ. et quanto opere καὶ γάρ frequentare veriti non sint, optime cognoscitur e Xen. An. VI 6, 13 sqq., quo loco intra breve spatium ter legitur. de posterioribus scriptoribus conferas, quae disputavit W. Schmid, der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dion. Hal. bis auf den zweiten Philostratus p. 65.

V.

Particulam γάρ inter frequentissimas esse particulas adparet, si cuiuslibet scriptoris librum evolvas. at tamen etiam in hac re scriptores inter se aliquantulum discrepant, qua de causa, ut haec quoque illustretur, ratio flagitare videtur.

Etenim Herodotus omnium maxime hanc coniunctionem frequentavit, qua, si Broschmanno (p. 5) fidem habemus, saepius quam milies sescenties usus est. id maxime eo efficitur, quod parataxim, quam vocant, anteponebat hypotaxi.

Hanc ubertatem Thucydides imitatus non est, quamquam sunt loci, ubi sane particulae frequentiam mireris, veluti VII 27, 2—4. neque minus scriptores, qui aetate ei proximi sunt, particulae γάρ quodam modo favebant. nam Gorgias eam in XXI sectionibus Helenae XVIIII locis, in XXXVII sectionibus Palamedis LVI locis posuit.[1]) de Antiphonte simile testatur Wiedenhofer, progr. Vindob. 1884, p. 26. quod verum esse confirmatur locis II α 4 et V 86 sq., quorum utroque intra octo versus editionis Teubnerianae γάρ quinquies legitur. item Andocides ut satis saepe hac particula usus est, ita multis locis eam adeo cumulavit, cf. I 19, 128 sqq., III 21.

Quod autem in titulis eiusdem temporis γάρ aut particulae conclusivae omnino non reperiuntur, id ex eorum dicendi genere mihi videtur explicandum esse. nam eorum erat tantum ipsas res posteris tradere nulla ratione, qua de causa eae factae essent, habita; ac si forte ratio habebatur, enuntiatum secundarium ab ἐπειδή vel ὅτι incipiens praemittebatur.

Sed Lysias dedita opera crebrum illum particulae γάρ usum imminuit ita, ut XXXI 4 sq., ubi quater γάρ legitur in oratione quidem, quae quanto opere discederet a consuetudine Lysiae, Blass I² 485 exposuit, locus singularis sit in genuinis Lysiae orationibus. et quam legem Lysias observaverat, eam disertis verbis Isocrates in fr. II 6 promulgavit τοὺς συνδέσμους τοὺς αὐτοὺς μὴ σύνεγγυς τιθέναι. nihilo minus ipsi excidit locus ille V 141, ubi tria deinceps

---

[1]) Cf. quae Rosenberg ann. phil. CIII 442 dicit: *In der Helena herrscht eine grosse Partikelarmuth...; im Palamedes dagegen machen wir die entgegengesetzte Beobachtung.*

enuntiata eaque brevia a particula γάρ incipiunt, similisque VII 34 sq., quales loci ipsa paucitate excusantur.

Sed eiusdem aetatis scriptores, qui non ita orationis elegantiae studebant, minime operam dabant, ne γάρ nimis saepe posito aures audientium offenderent. talem profecto locum, qualem legimus apud Platonem Apol. 39 e sq., quo in quinque continuis enuntiatis parvis γάρ quinquies exstat, numquam Isocratem eiusque sectatores scribere ausos esse pro certo adfirmari potest.

VI.

Huic loco extremo reservavi disquisitionem de sede, quam γάρ obtinere solet. qua in re per omnem illam aetatem, quam examinandam mihi proposui, nihil fere immutatum est. nam semper propriam huius particulae sedem alterum fuisse locum enuntiati satis constat; nec minus exploratum est particulam γάρ, si cum μέν vel τὲ concurrat, eis suo loco cedere. sed quando praeterea γάρ tertio loco positum sit, ut dicam, mihi relinquitur, quia nemodum, quod quidem ego video, de hac re accurate exposuit.

Ac primum et ad perspiciendum difficillimum est investigare, qui usus scriptorum fuerit, si primum locum enuntiati praepositio habebat. ego quidem omnibus locis Gorgiae Antiphontis Thucydidis Andocidis libelli de re publica Atheniensium collatis et plerisque Herodoti Lysiae reliquorum respectis haec observavi: si verbum, quod de praepositione pendet, cum articulo coniunctum est, particula γάρ constanter alterum enuntiati locum tenet, nisi forte μέν vel τὲ praepositionem continuo sequitur. quae hac consuetudine adparet cohaerentia articuli nominisque, tanta est, ut paucis locis, qui eam legem non secuntur, γάρ demum post nomen collocatum sit, numquam post articulum, cf. Her. I 194 ἀνὰ τὸν ποταμὸν γάρ *stromaufwärts,* VIIII 49 ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ γάρ, Ant. III δ 2 ἐκ τῶν λεγομένων γάρ, Lys. XXIII 13.

Sin e praepositione nomen nudum est aptum, magis in libidine scriptoris positum est, utrum hoc verbum an γάρ antecedat. sed eam certe quasi normam sibi proposuisse videntur scriptores, ut, si quod pronomen de praepositione penderet, γάρ postponerent, veluti Thuc. III 39, 3; 57, 3; 101, 1, IIII 3, 2; 29, 3, VII 62, 4, VIII 98, 3, Gorg. Pal. 36. quod quidem non semper observatum est, cf. Her. III 102 κατὰ γὰρ τοῦτο, contra IIII 86 nullo sensus discrimine legitur κατὰ τοῦτο γάρ; Thuc. II 35, 2 μέχρι γὰρ τοῦδε, IIII 50, 3 κατὰ γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον, VIII 63, 3 ὑπὸ γὰρ τοῦτον τὸν χρόνον, quos duos locos ad exemplum eorum, quibus continuo post γάρ articulus positus est, conformatos esse patet, contra cf. VIII 90, 4 ἐπ' αὐτὸν γὰρ τὸν . . .; Antiphon in tetralogiis II α 10 ἐκ γὰρ τούτων, γ 8 περὶ γὰρ αὐτῆς τῆς εὐδαιμονίας, IIII γ 4 ἐκ γὰρ ὧν, praeter quos locos duo tantum huc pertinentes in tetralogiis exstant II β 2 εἰς τοῦτο γὰρ βαρυδαιμονίας et III γ 5 εἰς τοῦτο γὰρ τόλμης καὶ ἀναιδείας; Lys. XXII 10 περὶ γὰρ

ὢν, XXVI 4 διὰ γὰρ ταῦτα, sed XXIIII 23 διὰ τί γάρ. contra si μέν vel τὲ addebatur, quas particulas continuo ante γάρ collocare consueverant, γάρ praeponebant illi, quodcumque erat, nomini, ne in locum quartum removeretur; tamen Thucydides id ipsum admisit I 124, 2 ἐκ πολέμου μὲν γάρ, V 7, 3 ἐς μάχην μὲν γάρ, quibus substantivis utroque loco alterum membrum simile oppositum est; ex Ant. I 6 ἐν οἷς μὲν γάρ, V 22 ἐν ᾧ μὲν γάρ, Lys. VII 37 περὶ ἐμοῦ μὲν γάρ intellegitur pluris interfuisse pronomen personale et relativum continuo post praepositionem quam γάρ ante locum enuntiati quartum ponere; sed Ant. II β 3 legitur ἔκ τε γὰρ αὐτοῦ τοῦ ἔργου. accedit, quod in locis illis Antiphonteis alterum membrum sequitur pariter institutum.

Praeter istos locos si praepositionem nomen sine articulo sequebatur, quocum nihil artius erat coniunctum, nomen alteram enuntiati sedem occupavit, particula γάρ tertiam;[1]) discrepat unus locus Thuc. VII 44, 6 ἀπὸ γὰρ ἀμφοτέρων. verum si adtributum vel aliud adpositum substantivum accedebat, γάρ plerumque altero loco collocabatur.[2]) quae regula cum in libello de Ath. rep. III 10 ἐν οὐδεμιᾷ γὰρ πόλει tum pluries a Thucydide neglecta est aut ad vim verbi praemissi augendam aut sine ulla causa dilucida, cf. II 44, 1 ἐν πολυτρόποις γὰρ ξυμφοραῖς, II 52, 4 ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας, III 66, 2 κατὰ νόμον γὰρ δή τινα (particula γάρ substantivo νόμον postpositum est, ut δή, quod ad νόμον referendum est, iuxta γάρ, ut solebat, locum haberet), IIII 12, 3 ἐπὶ πολὺ γὰρ — τῆς δόξης (dictum ex similitudine eorum locorum, quibus adiectivum solum e praepositione aptum adverbialem vim nanciscitur), V 66, 2 διὰ βραχείας γὰρ μελλήσεως, VI 48 ἐν πόρῳ γὰρ μάλιστα καὶ προσβολῇ, 87, 4 ἐν παντὶ γὰρ πᾶς χωρίῳ (quod inde natum esse videtur, ne vox παντί continuo voce πᾶς exciperetur).

Sed si iam eos locos mittimus, quibus praepositio antecedit et quibus particula μέν vel τὲ adiecta est, pauci supersunt, ubi γάρ tertium locum obtinet. ac plerique eius generis apud Thucydidem exstant, qui omnino maxima inter scriptores prosaicos libertate in vocula γάρ collocanda usus est. cum vero VI 77, 1 ἀλλ' οὐ γάρ, de quo supra disseruimus, et I 81, 4 εἰ μὴ γάρ (*nisi*) et III 58, 2 οὐκ ἐχθροὺς γάρ, ubi consilio quodam ἐχθρούς ab obiecto ἡμᾶς seiunxit eoque gravius alteri adiectivo εὔνους opponere voluit, γάρ tertio loco positum minus mirum sit, plus insoliti habent hi loci: I 77, 1 καὶ ἐλασσούμενοι γάρ et VIII 109, 1 καὶ ἐνταῦθα γάρ, ubi particulae καὶ γάρ verbo interposito dirimuntur;

---

[1]) Quo in genere inprimis locutiones illae numerandae sunt, quales sunt ἐν ἴσῳ γάρ Thuc. II 61, 4, κατ' ὀλίγον γάρ Thuc. IIII 10, 4, ἐξ ἐναντίας γάρ Thuc. IIII 33, 1, ἐν καιρῷ γάρ Thuc. V 61, 2, καθ' ἕκαστον γάρ Thuc. V 85, ἐπ' ἀμφότερα γάρ Thuc. VI 60, 2, δι' ἐλάσσονος γάρ Thuc. VII 4, 4, ἐξ ἀρχῆς γάρ Ant. VI 20, And. I 34.

[2]) Thuc. I 2, 4 διὰ γὰρ ἀρετὴν γῆς, II 15, 1 ἐπὶ γὰρ Κέκροπος καὶ τῶν πρώτων βασιλέων, II 102, 2 ἐς γὰρ Οἰνιάδας ἀεί ποτε πολεμίους ὄντας μόνους Ἀκαρνάνων, IIII 39, 3 ἐντὸς γὰρ εἴκοσιν ἡμερῶν, VI 20, 2 ἐπὶ γὰρ πόλεις, ὡς ἐγὼ ἀκοῇ αἰσθάνομαι, μέλλομεν ἰέναι μεγάλας καὶ οὔθ' ὑπηκόους ἀλλήλων eqs., VII 87, 1 ἐν γὰρ κοίλῳ χωρίῳ ὄντας καὶ ὀλίγῳ.

I 77, 5 τὸ παρὸν γάρ, ubi sine necessitate γάρ contra morem non inter articulum et nomen interponitur (contra I 109, 2 τὸ μὲν γὰρ πρῶτον, 140, 5 τὸ γὰρ βραχύ τι τοῦτο); II 63, 2 ὡς τυραννίδα γάρ. hi quoque loci eo quidem excusantur, quod Thucydides verba particulae γάρ praegressa consociare voluit. vides numerum talium locorum satis parvum esse.

In orationibus Antiphontis haec tantum repperi exempla: V 85 ταὐτὰ γάρ (nisi forte, quod malim, ταῦτα γάρ scribendum est, duae hic voces τά et αὐτά synizesi in unam coagmentantur, cum IIII β 5 legatur τοῖς γὰρ αὐτοῖς); VI 2 ὁ χρόνος γὰρ καὶ ἡ ἐμπειρία (cf. Her. VI 69 τὸν χρόνον γὰρ, τοὺς δέκα μῆνας) studium ὁ χρόνος et ἡ ἐμπειρία opponendi adparet, sed quantum in hac re arbitrio scriptoris permissum sit, luce fit clarius, si eundem locum V 14 legimus ita variatum ὁ γὰρ χρόνος καὶ ἡ ἐμπειρία; in fr. XVI 57 τὰ πτερὰ γὰρ αὐτῶν τὸ κάλλος ἐστίν, ἀλλ' οὐ τὸ σῶμα satis manifestum est scriptoris consilium.

Andocidis duo sunt loci, qui ad hanc quaestionem pertinent: I 30 δηλονότι γάρ et [IIII] 7. sed quia ex Ant. V 26 δῆλον γὰρ ὅτι, 28 δῆλον γὰρ ὅτι, 35 δῆλον οὖν ὅτι, Plat. Prot. 319 d, de rep. I 331 e intellegitur tantum afuisse, ut Graeci illis temporibus originem genuinamque vim vocabuli δῆλον ὅτι ignorarent, ut id postposita coniunctione separare a ceteris verbis enuntiati vererentur, nescio an illo quoque loco facili emendatione scribamus δῆλον γὰρ ὅτι. altero autem loco traditum est περὶ μὲν οὖν τούτων οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ μακρότερα λέγειν πάντως· οὐδὲν γὰρ ἂν πλεῖον εἰς τὸ παρὸν ποιήσαιμεν, quod A. G. Becker ita convertit: *Ich wüsste indessen nicht, weshalb ich überall weiter hierüber reden sollte* eqs. πάντως ad antecedentia adsumpto et vocabulo *überall* reddito. quod falsum esse nemo non videt. Reiske verba οὐδέν et γάρ sedes suas immutare iussit ita, ut scriberet πάντως γὰρ οὐδέν. sed nihil mutandum esse censeo; cum enim πάντως et οὐδέν artissime cohaereant et alios etsi paucos locos iam protulerim similiter comparatos, non est, cur scripturam codicum πάντως οὐδὲν γάρ relinquamus.

E Lysiae orationibus notavi XII 23 τὸν ἀδελφὸν γάρ μου, XIII 73 ὁ Φρύνιχος γὰρ οὗτος, XXXII 21 οὐκ ἄτοπον γάρ = ἐπιτήδειον γάρ.

Sed in locum etiam remotiorem ab initio γάρ removere tanta sermonis elegantioris incuria habebatur, ut oratores, quam potuerunt maxime, id evitarent. neque ceteri scriptores umquam γάρ quarto enuntiati loco posuerunt nisi necessitate quadam adducti. itaque eis locis, quos supra proposuimus, cum de concursu particulae γάρ et verborum a praepositione dependentium diximus, duos tantum addere possum: Her. II 129 τά τε ἄλλα γάρ, quod minus miros nos habet, cum τά τε ἄλλα una notio sit, cui in eis, quae secuntur, ex solito more καὶ δὴ καί respondet, et [Dem.] LVIIII 55 οὐ πολλῷ χρόνῳ γὰρ ὕστερον.

ΟΥΝ.

Inter particulas conclusivas creberrima et notissima est οὖν, cuius genuina vis adverbialis, cum etiam apud scriptores prosaicos saepius inveniatur, primum in hac disputatione locum habebit.

I.

Ubicumque vis particulae οὖν haec est, ut nullo modo ad conexum sententiarum pertineat, sed ea ipsum enuntiatum, cui additur, firmius stabiliatur, semper cum alia particula est coniuncta. ii enim loci, quibus οὖν solum hoc sensu positum esse putabatur (cf. Kuehner p. 719 adn.), omnes aliter explicandi sunt.[1])

1.

Supra iam γὰρ οὖν adtigimus, quo Herodotus non raro usus est, praesertim ubi declaravit, unde sciret aliquid (II 127) aut qua re nesciret (I 49, VIII 128, 133). sed scriptores Attici γὰρ οὖν omnino vitaverunt usque in Isocratis tempora, qui cum V 7 ὅπως γὰρ οὖν scripsit, non contra hanc legem fecit, quia ὅπως et οὖν hic copulanda sunt. sed Xenophon et Plato in dialogis sine dubio e sermone vulgari γὰρ οὖν rursus receperunt, veluti Plat. Phil. 32 c, quo saepe numero responsum confirmatur, cf. Xen. Comm. IIII 6, 14 φημὶ γὰρ οὖν, Plat. Lys. 215 b οὐ γὰρ οὖν, atque etiam praeposita particula καί coniunctio conclusiva efficitur (cf. p. 170).

Iidem in responsis μὲν οὖν ad sententiam corroborandam adhibitum (Pl. Theaet. 155 a) frequentabant, quod ante id tempus hoc modo usurpatum non invenitur.

2.

Magis minusve autem apud omnes ἀλλ' οὖν invenitur, apud posteriores quidem oratores crebrius. quod cum post sententiam concessivam, quam verbis disertis exprimi opus non est, poni soleat et idem significet, quod Latinum *at certe*, plerumque γὲ uno verbo interiecto additur, quam rem inprimis antiquiores observaverunt, cf. Her. III 140, quem locum Hoffmann neglexit, Thuc. V 113 in orationis initio, And. II 18 (unicus eius modi est apud eorum quemque locus),[2]) Isocr. IIII 171, Aesch. III 11, Plat. Phaedo 91 b.

---

[1]) Thuc. VIII 91, 3 οὖν...γε eadem ratione dictum est qua alibi γοῦν.

[2]) In libello de re publica Atheniensium et in orationibus Gorgiae Antiphontis Lysiae nullum eius generis exemplum repperi.

rarius duo verba interponuntur,[1]) veluti Isocr. XII 202 ἀλλ' οὖν δι' ἐκεῖνό γε, Dem. VIIII 30 ἀλλ' οὖν ὑπὸ γνησίων γ' ὄντων. nusquam vero ante Isocratem γὲ continuo post ἀλλ' οὖν collocatum est, cf. Isocr. XX 14, Lyc. 141, aut prorsus deest, cf. Isocr. XI 33, Aesch. III 86, qui locus eo quoque insignis est, quod cum licentia quadam Aeschines ἀλλ' οὖν in medium enuntiatum inseruit, cf. Isocr. XV 314 et Dem. XVIIII 249.

3.

Simile est δ' οὖν, quod quamquam omnibus temporibus in usu fuisse mox videbimus, casu quodam orationum Andocidearum nullo loco legitur. iam sicut nonnulli γὰρ οὖν ita explicaverunt, ut particula γάρ argumentatio simulque particula οὖν consequentia indicaretur, cf. Kuehlewein p. 85, Broschmann p. 81, ita fuerunt, qui voce δέ sententiam contrariam significari, voce οὖν aliquid ex eis, quae antecesserunt, deduci opinarentur. quae cum vix concedenda sint, particulae οὖν iuxta δέ adversativum positae vim confirmativam adtribuendam esse plerisque certe locis constare mihi videtur. quod cum ex aliis, tum ex his exemplis elucet: Her. VIIII 48, ubi Stein δ' ὦν nostro *immerhin* illustrat, ego ὦν adverbio *certe* reddere et δ' ὦν non secus fere intellegere velim ac si scriptum sit ἀλλ' ὦν, Ant. V 75, quo uno loco in Antiphontis orationibus δ' οὖν repperi, ὅμως δ' οὖν, Isocr. VII 69; IIII 19, ubi fortasse aequabilitatis causa, quia in priore membro μὲν οὖν scripserat, δ' οὖν usus est, cf. XV 140, Dem. XXI 79. maxime autem haec aucta coniunctionis δ' οὖν vis adversativa cognoscitur, si sententia verbis praegressis adfirmata enuntiato condicionali tollitur, cui δ' οὖν adponitur, cf. Hipp. de nat. hum. 2: εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν ἤλγεε· οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν, ὑπὸ τοῦ ἀλγήσειε ἓν ἐόν· εἰ δ' οὖν καὶ ἀλγήσειε, ἀνάγκη καὶ τὸ ἰώμενον ἓν εἶναι, Lys. VIIII 11, Plat. de rep. I 337 c, et si praemissa sententia universali, quae plura complectitur, unum idque gravissimum expromitur, cf. Her. II 70, IIII 195, Isocr. XV 46.

Ab Herodoto autem, qui inprimis ut alias particulas compositas, ita δ' οὖν frequentavit, ea coniunctio saepius in enuntiatis adhibita est, quae, cum antecedentia obscura vel dubia sint, eo certius proferuntur. quo sententiarum contextu efficitur, ut οὖν declarare videatur: *utcumque haec se habent* (III 115, IIII 180, VII 9γ; cf. Stein ad I 140, 7). atque id tum maxime fit, si duarum opinionum, quae ad eandem rem pertinent, utra verior sit, decerni non potest, res autem ipsa extra omnem dubitationem posita est, veluti II 125, VI 82. tale δ' οὖν si particulam μέν sequitur, alteram plerumque coniunctionem referendam esse ad alteram cum Abichtio (ad VII 9) arbitror. quis enim Hoffmanno, über den Gebrauch der Partikel ὦν bei Herodot p. 5 credat omnibus eius modi locis, nisi forte simplex δέ sequatur, alterum membrum

---

[1]) Cf. Kuehlewein p. 44.

cum δέ omissum esse, veluti IIII 77, VII 189? cf. censuram libelli Hoffmanniani ab H. Kallenbergio conscriptam Zeitschr. f. Gymn. XXXX Jahresb. p. 322. aetate autem insequenti perraro haec coniunctionis δ' οὖν vis reperitur, veluti Thuc. II 5, 7, Isocr. XII 76, saepius rursus postea; cf. Xen. An. I 2, 12; 3, 5, II 4, 6, quibus exemplis dubium non iam relinquitur, quin δ' οὖν particulae μέν praegressae respondere possit.

His omnibus locis οὖν vice adverbii fungitur ad sententiae contrariae gravitatem augendam; sed multi loci ita comparati sunt, ut particula δέ oratio interrumpatur, particula οὖν sive verbum sive enuntiatum ex eis, quae antecesserunt, sive longius remotum sive propius positum repetatur, ut alia adnectantur.[1]) apud Herodotum quidem haec significatio non ita saepe inest his particulis (V 49, VIIII 79). in libris Thucydidis ex contrario fere nusquam aliam habent vim; nam praeter II 5, 7, de quo supra exposuimus, his locis editionis Classenianae δ' οὖν repperi: I 3, 4, ⟨10, 5⟩, ⟨63, 1⟩, II ⟨16, 1⟩, 34, 8, III [84, 1], IIII 82, VI 15, 5; 56, 1, VII ⟨59, 1⟩, ⟨82, 1⟩, VIII ⟨24, 6⟩, 81, 3; 87, 6, ⟨94, 3⟩, 97, 1. eodem modo δ' οὖν interpretandum est Lys. [VI] 23, XVIIII 22, [XX] 26, fr. LIIII 78 § 3 et compluribus Isocratis locis, veluti VIII 16. hunc oratorem aliquid novasse in usu coniunctionis δ' οὖν, cum subinde δ' tantummodo hiatus evitandi causa interposuerit, Ljungdahl p. 33 putat; sed eorum, quos adtulit, locorum alios male intellexisse videtur, quippe quibus δέ suo loco positum sit (VII 69), aliis, ubi conexum sententiarum conclusivum esse negari non potest, δ' eiciendum esse censeo, si quidem id codices ipsi suadere videntur, cf. XV 17, XVI 48, XVIIII 51; v. etiam XVII 58.

Etiam in οὐδ' ὦν, quod Her. I 2, 56 sine dubio recte ita explicatur, ut ὦν coniunctio consecutiva sit, οὐδ' ad verbum sequens referatur, nonnumquam ὦν ad confirmandam sententiam positum est, praesertim si hanc particulam alterum οὐδέ sequitur, quod Her. II 134 et V 98 exstare videmus, quos locos Hoffmann p. 5 perperam cum illis composuit.

4.

In particulis, quae cum οὖν coniunguntur, sunt quoque εἴτε et οὔτε, quibus οὖν adponitur, ut id ipsum membrum prematur, in quo exstat. cuius usus pauca exempla in libris Herodoti insunt: VI 137, VIII 54, IIII 96, VII 12, VIIII 18, 26, sed multo pauciora Attici scriptores praebent. neque enim in Thucydide aut Gorgia aut Antiphonte aut Andocide aut libello de re publica Atheniensium ullum inveni. apud Platonem vero, qui omnino particulis

---

[1]) Cf. quae dixit Herbst Phil. XXIIII 628: *Das* δέ, ait, *hat aber überall in diesen Stellen nichts mit dem* οὖν *zu schaffen. ... Für die Epanalepsis der Rede ist das* οὖν *und neben diesem bedarf es des* δέ *nicht; wo dieses dabei erscheint, macht es einen Gegensatz und dient so dem Fortschritt der Rede.* adde Classeni adn. cr. ad VII 59, 1.

maiore libertate utitur, locos legimus, quales sunt Prot. 309 b καὶ γὰρ πολλὰ ὑπὲρ ἐμοῦ εἶπε βοηθῶν ἐμοί, καὶ οὖν καὶ ἄρτι ἀπ' ἐκείνου ἔρχομαι, de rep. VI 492 e.

5.

Relinquitur, ut de οὖν cum pronominibus adverbiisque relativis copulato disseramus. cuius usus, quamquam aetate superiore non tam frequens erat quam postea, testimonia omnes scriptores exhibent; certe unum locum, qui huc pertinet, repperi apud Andocidem II 18 ὁτῳοῦν δύναται τρόπῳ, itemque apud Antiphontem II α 2, in libello de re publica Atheniensium III 3, denique in titulis CIA. II 1, 17 (a. 378/7), l. 42 τρόπῳ ὁτῳοῦν.[1])

Si autem locos accuratius inspicimus, οὖν tantummodo cum pronomine composito ὅστις et adverbiis vel adiectivis pronominalibus a litteris ὁπ incipientibus, veluti ὅπως, in quod ea res cadit saepissime, ὁποῖος, ὁπόσος, ὁπότερος, conexum esse videmus. duobus tantum locis apud Herodotum I 199 et II 22 ὁσονῶν legitur atque ὥσπερ οὖν similiaque verba apud Platonem, quorum etiam significationem peculiarem esse cognoscemus. sed quoniam de modo huius usus loquimur, id quoque hic commemorandum est nonnumquam οὖν a relativo suo verbo dirimi. quod maxime fit pronomine τὶς, sicut in ὁστισοῦν hoc pronomine indefinito interposito notio universa urguetur: ὁκοιουτινοσοῦν Hipp. de humor. 14, ὁποιουτινοσοῦν Xen. Cyr. II 4, 10, ὁπωστιοῦν, quod apud posteriores saepe invenitur (Plat. Apol. 17 b μηδ' ὁπωστιοῦν, Phaedo 81 c οὐδ' ὁπωστιοῦν), apud Thucydidem uno loco, qui in postremo libro inest, VIII 71, 2 οὐδ' ὁπωστιοῦν. aliquanto plus insoliti habent hi loci: Dem. XXXXV 53 ὅτου τις οὖν, Lys. I 49 ὅ τι ἂν οὖν, Isocr. V 7 ὅπως γὰρ οὖν, XV 83 ὅστις ἂν οὖν.

Talibus igitur locis quid particula οὖν significetur, si quaeris, omnes consentiunt notionem ea universalem effici. sed admodum raro voces relativas ita compositas proprium sequitur verbum finitum, veluti And. II 18, Lys. I 49; plerumque eae in media enuntiata inferuntur atque adeo, id quod sane mirum est, praedicati locum hic illic obtinent, cf. Her. I 199, Plat. Euthyphr. 5 e. neque casu factum esse puto, ut permultis locis in enuntiata condicionalia insererentur, quippe quae si hoc modo universe pronuntiantur, tota sententia latius patescat. qua re si ea in Latinum vertamus, saepe non a coniunctione condicionali, sed ab ipso pronomine relativo indefinito initium faciamus oportet, veluti Her. II 113 ἐς τὸ ἢν καταφυγὼν οἰκέτης ὁτευῶν ἀνθρώπων ἐπιβάληται στίγματα ἱρά, . . . οὐκ ἔξεστι τούτου ἅψασθαι *in quod cuiuscumque hominis servus fugiens*

---

[1]) Hunc locum solum toto hoc libello ex titulis adferre possum, quia in omnibus, qui sunt annorum usque ad 350. a Chr. n., nullum alium vidi, ubi particula conclusiva usurparetur, quamquam identidem CIA. vol. I. et II. fasc. 1. et suppl. (t. IIII) fasc. 1. et 2., deinde titulos a Dittenbergero congestos perlustravi. itaque, si modo recte se habent, quae Herwerden, lap. de dial. Att. test. p. 78 disputavit: *conclusiva coniunctio una tantum adhibetur sc.* οὖν *semper iunctum, nisi fallor, cum* ὅπως *vel* ὅπως ἄν *vel* ἵνα, ea certe non valent de illis temporibus.

maculas sacras concepit, deprehendere eum non licet; Thuc.[1]) I 77, 3 ἤν τι — καὶ ὁπωσοῦν ἐλασσωθῶσιν *quodcumque detrimentum accipiunt;* IIII 23, 1 ἐὰν καὶ ὁτιοῦν παραβαθῇ *quicquid neglegitur;* cf. IIII 16, 2 ὅ τι δ' ἂν τούτων παραβαίνωσιν ἑκάτεροι καὶ ὁτιοῦν, ubi pronomen ὅ τι bis positum est, ne ὁτιοῦν ipsum ut vere relativum cum verbo finito coniungeretur; V 18, 11 εἰ δέ τι ἀμνημονοῦσιν ὁποτεροιοῦν καὶ ὅτου πέρι, ubi οὖν etiam ad sequens ὅτου valet; Latine dicas *utricumque et de quacumque re quid omittunt.*

Si ad talia verba relativa indefinita καί vel οὐδέ accedit, quae gradationem indicant, ita ea definiuntur, ut extremus eis gradus significetur et quidem semper fere infimus, rarissime, quem aequo iure exspectare possis, summus; quod tam saepe accidit, ut in Thucydidis libris duodecim eius modi loci sint (duobus tantum καί non exstat V 18, 11; 41, 2): Her. II 22 καὶ ὁσονῶν *vel minimum,* Thuc. VII 60, 3 καὶ ὁπωσοῦν *vel minime,* eodemque modo ceteris eius scriptoris locis his verbis minimum et tenuissimum quidque significatur, similiter Isocr. XII 2 οὐδ' ὁπωσοῦν *nullo plane modo;* sed Plat. Phaedr. 258c καὶ ὁπωστιοῦν δύσνους interpretandum est *etiamsi quam maxime malevolus.*

Plato porro interdum in enuntiatis relativis post primam vocem relativam οὖν posuit, non quod ei notionem universalem tribuere vellet, sed eo consilio, ut verum esse id, quod eo enuntiato continetur, adfirmaret, veluti Charm. 155b ὃ οὖν καὶ ἐγένετο, Phaedr. 242e εἰ δ' ἔστιν, ὥσπερ οὖν ἔστι, θεὸς ἤ τι θεῖον ὁ Ἔρως; cuius usus scriptores antiquiores nullum exemplum exhibent.

II.

Multo saepius οὖν vere coniunctio est habenda; qui usus cum per illa tempora, de quibus nos disputamus, idem fere manserit, graviora tantum proferemus ita, ut in primis Andocidis rationem habeamus.

1.

Nonnumquam iuxta οὖν verbum propius longiusve remotum iterum ponitur, ad quod cetera adnectantur, cf. And. I 109, III 26, 38, sed interdum non in ipso initio collocatur: I 85 ἐδοκιμάσθησαν μὲν οὖν οἱ νόμοι ὦ ἄ. κατὰ τὸ ψήφισμα τουτί (proxime antecedit plebiscitum ab oratore ad verbum adscriptum), 86 (ad legis praegressae verba relegamur), 131 (κληδών voce φήμη renovatur), [IIII] 39 ἔστι μὲν οὖν Ἀλκιβιάδου (ad Alcibiadem revertitur orator). huc singularis quoque ille locus pertinere mihi videtur in libello de Ath. rep. I 7 εἴποι τις ἄν, τί ἂν οὖν γνοίη ἀγαθὸν αὑτῷ ἢ τῷ δήμῳ τοιοῦτος ἄνθρωπος, ubi verba εἴποι τις ἄν sine coniunctione adiuncta pro parenthesi habenda sunt neque ullius

[1]) Qui quater decies talibus pronominibus adverbiisque indefinitis eisque sexies in enuntiatis condicionalibus usus est: I 77, 3, IIII 16, 2; 23, 1; 37, 1, V 18, 11; 41, 2, VI 56, 3, VII 48, 5; 49, 2; 60, 3, VIII 27, 3; 71, 2; 90, 2; 91, 3.

momenti ad conexum sententiarum, cf. Dem. VIII 23. compluribus autem locis post enuntiata interposita, etiamsi verbum ex eis, quae antecedunt, non repetitur, coniunctione οὖν ad illa revocamur eo consilio, ut ab eis profecti ad alia traducamur, veluti I 26 (cf. supra p. 159), quo cum loco contendere refert Ant. V 46, ubi, quae post ὃ δὲ καὶ μάλιστα ἐνθυμεῖσθε iam exspectantur, aliquanto infra leguntur μὴ οὖν ἐξέληται τοῦτο ὑμῶν μηδείς; item And. I 104 si legimus εἰ οὖν γνώσονται eqs., ad verba εἰ οὖν ἐμοῦ καταψηφιεῖσθε (103) mente redimus.

2.

Saepe coniunctione οὖν sive in enuntiato primario sive secundario posita (And. I 33, 56, 64, 89) ea, quae antecesserunt, comprehendi indicatur. hoc modo finis vel capitis orationis vel complurium enuntiatorum significatur, velut I 9 et 10, quae sectiones a Lindero p. 66 falso dispositae summam complectuntur totius prooemii, 76, 119. ac multi sunt loci, quibus scriptor ea, quae ante dicta sunt, ita complexus protinus ad alia progreditur, cf. III 33, id quod potissimum particulis μὲν ... δέ efficitur, cf. I 70 post Μάρτυρες, III 12, praesertim cum a parte orationis ad partem transitur, de quo usu, quantum quidem ad Antiphontem et Andocidem adtinet, copiose exposuit Linder p. 83 sqq.

3.

Venimus iam ad conclusivam particulae οὖν vim tractandam, quam plerisque locis libelli de re publica Atheniensium, I 1, 12 bis, 14, 18, III 10, cf. I 8, II 19, adpositis verbis διὰ τοῦτο (ταῦτα) quodam modo declarari memoratu dignum videtur. And. III 34 εἰ πεμφθέντες αὐτοκράτορες ἔτι ἀπεδώκαμεν ὑμῖν περὶ αὐτῶν σκέψασθαι. βουλεύσασθαι μὲν οὖν ἀσφαλῶς χρὴ eqs. et [IIII] 2 enuntiata, quorum initio οὖν legitur, e sententiis secundariis colliguntur; et si οὖν ipsum in enuntiato secundario locum habet, consequentia aut in eo ipso inest, cf. And. I 37, aut in enuntiato primario, quod sequitur, cf. And. I 24, 54 (ubi sententia, quae desideratur: *proinde, si me socios salutis meae gratia prodidisse suspicati estis, decedite de ista sententia,* latet aliquantulum quidem immutata in verbis σκοπεῖσθε ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων), 103, 139, [IIII] 29. si autem conclusio interrogationem continet, aut eius ipsius verba ex eis, quae antecedunt, colliguntur, veluti I 14 οἶσθα οὖν; (in dialogo), 95, 101 (in dialogo), aut verba praegressa causam adferunt, cur haec interrogentur, veluti I 14 τὰ ὀνόματα οὖν τῶν ἀνδρῶν ἐστι ταῦτα; (Diognetus quia se rem cognovisse ait, interrogatur, num nomina recte se habeant), Gorgias saepius in dialogo, velut Pal. 9 bis, 11, Ant. V 50, 90, VI 46 οὐκ ἠξίουν ἀπογράφεσθαι· καίτοι ἱκανά γ' ἦν ὑπομνῆσαι καὶ ἐνθυμηθῆναι, εἴπερ ἠδικοῦντο, ἀμφότερα ... διὰ τί οὖν οὐκ ἀπεγράφοντο; ubi ratio enuntiatorum talis est, ut paene concessiva haberi possit. consequentia quoque quaedam subest in illis locis, quibus ex eis, quae antecesserunt, colligitur, quid supersit, cf. And. II 24, I 87 post Νόμοι, 109, III 24, 32.

4.

Sunt autem loci, quibus enuntiatum, in quo οὖν positum est, non tam ratione ex antecedenti consequi videatur quam tempore, id quod aliquo modo iam de loco, qui est And. I 40, valet, in scriptoribus posterioribus autem hic illic invenitur, cf. Plat. Conv. 214 a, b. atque quibusdam locis omnino nullus eius modi conexus, cuius complura genera modo ostendimus, inter eas sententias, quae particula οὖν coniunguntur, intercedit. hoc liberiore modo οὖν usque ad Isocratem, de quo vid. Ljungdahl p. 19, raro usurpatur. Andocides primum hac particula ita usus est in oratione III. § 2, 23, quo utroque loco orator re ipsa enarrata sententias aliunde petitas ad eam rem iudicandam contulit,[1]) similiter Thuc. III 45, 1. saepius quidem iam illi scriptores particula οὖν utebantur, ubi initium faciebant fusius aliquid exponendi et dividendi in partes: And. I 12, [IIII] 10, 11, Ath. rep. I 2, II 9. hoc οὖν explicativum, ut ita dicam, ibi quoque occurrit, ubi non totum enuntiatum, sed singulae voces, ut antecedentia illustrentur, eis adnectuntur: Thuc. III 101, 2 καὶ αὐτοὶ πρῶτον δόντες ὁμήρους καὶ τοὺς ἄλλους ἔπεισαν δοῦναι φοβουμένους τὸν ἐπιόντα στρατόν, πρῶτον μὲν οὖν τοὺς ὁμόρους αὐτοῖς Μυονέας, ... ἔπειτα Ἰπνέας eqs., IIII 104, 5, Xen. Hell. V 3, 7, res equ. VI 14. sed multo latius liberior ille usus particulae οὖν patet apud Atticos posteriores, qui figuram anteoccupationis saepe coniunctione οὖν in orationem inducunt, cf. Ljungdahl p. 60, syllogismi proposita, quae vocantur, ita inter se coniungunt, voculis τί οὖν; ad promovendam modo orationem utuntur, cf. Birkler, die oratorischen Transitions- und Argumentations-Phrasen pp. 32 et 42.

5.

Interdum scriptores, qui neglegentiam quandam dicendi prae se ferunt, coniunctionem οὖν aliquanto post initium periodi collocant, ita ut non huic enuntiato cum antecedentibus conectendo inserviat. quod non fit, nisi certae quaedam condiciones adsunt. etenim saepe continuo antecedit enuntiatum mediam in periodum insertum. atque ex ea interpositione, quae a γάρ incipere solet (cf. p. 156, Thuc. VII 6, 1, ubi parenthesis ad antecedentia spectat, aliter Thuc. VIII 57, 2, Lys. VIII 3), aut, quae secuntur, effici aut summam eius breviter comprehendi (Thuc. I 26, 1, VII 42, 3, Xen. An. IIII 7, 2) coniunctione οὖν indicatur.

Aliis locis, ubi itidem enuntiatum interpositum antecedit, aut uno verbo pluribusve ad initium periodi revocamur, cf. Hipp. de arte § 8 περὶ δὲ τῆς ἰητρικῆς ... ἐς ταύτην γὰρ ὁ λόγος ... ταύτης οὖν τὴν ἀπόδειξιν ποιήσομαι, Her. VI 13, VII 137, ubi infinitivus τὸ συμπεσεῖν substantivo τὸ πρῆγμα in memoriam revocatur,

---

[1]) Falso igitur A. G. Becker III 23 sic vertit: *welchen anderen (!) Frieden dürfen wir erwarten, selbst (!) wenn wir durch Gesandtschaften ihn nachsuchten?*

Thuc. VI 64, 1, Xen. An. VI 6, 15, aut ea enuntiati pars, cuius in initio οὖν legitur, ex eis colligitur, quae ante parenthesim posita sunt, quod praeter locum illum singularem Thuc. III 95, 1 [1]) non observavi.

Sed tale οὖν etiam invenimus, si interclusione non inserta enuntiatum secundarium antecedit, quibus locis omnibus praeter eos Hippocratis (cf. Kuehlewein p. 81) et Herodoti (cf. Hoffmann p. 11), ubi ὦν inter praepositionem verbumque collocatum est, sententia antecedens verbo quodam iuxta ὦν posito comprehenditur, cf. Her. VIIII 26 ἐπεὶ …, τότε ὦν, Xen. An. III 1, 20, aut certe ad verbum quoddam enuntiati secundarii revocamur, cf. Her. I 132. rarius sententiam ab οὖν incipientem, si enuntiatum causale antecessit, ex hoc ipso quodam modo deduci hac coniunctione significatur, cf. Hipp. aphor. I 3 ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσι οὐδ' ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον, Her. VIIII 87.

Nusquam vero, quod subinde in grammaticorum commentariis legitur, particula οὖν id agitur, ut, quae sequitur periodi pars, cum ea, quae antecessit, colligetur, si ansa, ut ita dicam, data non est. quae cum ita sint, Her. I 144 ita, ut in editionibus exstat, ferri non potest, cf. Gomperz in act. acad. Vindob. CIII 521, Stein in Bursiani annal. XXXXII 139.

III.

Particula οὖν si sequitur voculam οὐκ, plerumque cum ea coalescit in unam vocem ΟΥΚΟΥΝ, quae adsidua excitavit studia antiquiorum recentiumque grammaticorum, de quibus in primis nominandi sunt Apollonius περὶ συνδέσμων ed. R. Schneider I 257 sq., Phrynichus in Bekk. anecd. I 57; Breitenbach Zeitschr. f. Alterthumsw. 1841 pp. 105—120, 1842 Beiblatt pp. 57—62, Baeumlein pp. 192—197, Kuehner pp. 713, 715—719, Xen. Comm. ed. Kuehner III. exc. de duplici scriptura vocabuli οὐκουν pp. 513—523, Dem. ed. Voemel prolegomena gramm. § 40 p. 49 sq.

1.

Ubi igitur οὖν sequitur particulam οὐκ, longe saepissime utrumque vocabulum per se valet et οὖν conclusivam significationem habet, ita ut nihil interesse videatur, utrum οὐκ οὖν scribas, quod Classen omnibus locis Thucydideis recepit, an οὔκουν, quod Stahl praetulit. eadem particularum vis adparet in negativis interrogationibus rhetoricis, quibus sententia adfirmativa subest. talia enuntiata quia in causa fuisse inter omnes iam constat, cur οὐκοῦν postea

---

1) Cf. schol. ad h. l.: ὁ οὖν σύνδεσμος εἰ καὶ περιττὸς τῷ Ἀντύλλῳ δοκεῖ, ἐγὼ πάνυ ἀναγκαίως λέγω προσκεῖσθαι αὐτόν· τὴν βουλὴν γὰρ εἰπὼν ἐπήγαγε τὴν πρᾶξιν, ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν· οὐκοῦν ἐνθυμηθεὶς ἔπραττεν, ὅπερ ἐνεθυμήθη.

vim adfirmativam nancisceretur, quaeritur, utrum his locis οὐκοῦν scribendum sit an οὐκ οὖν an οὔκουν, cf. Gebauer, arg. ex contr. p. 309. ego igitur, quamquam res ipsa levioris momenti est, Breitenbachium[1]) secutus recentiore quidem aetate, qua οὐκοῦν iam in usu fuisse demonstrabitur, talibus locis omnibus scribere malim οὔκουν; codicum enim in eius modi rebus plane nulla est auctoritas. sed Thuc. III 63, 2 ceterisque eius scriptoris locis totiusque aetatis, cui coniunctio adfirmativa οὐκοῦν nondum cognita fuisse videtur, unde, si οὐκ vim negativam retinebat, eam syllabam distinguendi internoscendique causa acui non oportebat, voces duas separare velim; contra in And. I 102 iam antepono scripturam οὔκουν.

2.

Sed accuratius dicendum est de οὐκοῦν, cuius notio adfirmativa ex οὐκ οὖν particulis initio interrogationum positis eo orta est, quod vi enuntiati interrogativa oblitterata eae voces coniungebantur. in Herodoti libris οὐκοῦν non invenitur, quod etiam Hoffmann p. 8 statuit, cum diceret utramque particulam suam semper vim apud Herodotum retinere.[2]) neque illa particula conclusiva usi sunt, qui paulo post Herodotum fuerunt, scriptores. sed in primis huius usus testimoniis ducendum est And. III 10; contra in orationibus II. et I., quae multis annis ante habitae sunt, nullum eius exstat exemplum. altero autem Andocidis loco, quo Blass οὐκοῦν edidit, III 14 scribendum esse οὔκουν et in fine enuntiati signum interrogationis ponendum puto; namque sententia negativa, quae ex interrogatione antecedenti colligitur, quaque insulas illas pacis lege adsignari Atheniensibus negatur, simul cum illa acerrime refutatur interrogationis forma accepta: ἀλλ᾽ ὅπως τὰς νήσους κομισώμεθα, Λῆμνον καὶ Σκῦρον καὶ Ἴμβρον, sc. πολεμήσωμεν; οὔκουν διαρρήδην γέγραπται ταύτας Ἀθηναίων εἶναι; alia exempla desumpta ex oratoribus sunt Lys. X 12, XXVIIII 4, Isocr. XV 253, Dem. XIIII 27, Aesch. I 159.

Maxime autem frequentiam huius coniunctionis adauxerunt Plato et Xenophon, qui in Commentariis LXXVII locis οὐκοῦν posuit teste Roquettio, de Xenophontis vita p. 39.[3])

---

[1]) Qui p. 120 sic disputavit: *Es wird in den meisten Fällen schwer zu bestimmen sein, ob* οὖν *wirklich von solcher Bedeutung sei, dass es mit eigenem Accent und getrennt von* οὐκ *geschrieben werden müsse oder nicht. Gesetzt aber auch dies liesse sich überall mit Bestimmtheit entscheiden, so tritt doch der nicht unwichtige Uebelstand ein, dass es wenigstens dem Hörer nicht gut möglich sein würde,* οὐκ οὖν *wiederum von* οὐκοῦν *auch bei einer sorgfältigen Aussprache zu unterscheiden. — Von* οὐκοῦν *sagen die Grammatiker nicht bloss gar nicht, dass es in der Frage steht, sondern sie sagen sogar ganz bestimmt, es sei eine syllogistische Partikel, in der die Negation bedeutungslos sei. Hiemit konnten sie aber nichts anderes ausdrücken wollen, als dass* οὐκοῦν *nicht als negative Fragepartikel, sondern nur als affirmative Folgerungspartikel gebraucht wurde.*

[2]) Iniuria igitur Stein eum reprehendit in Bursiani annal. XXXXII 156: *Uebersehen ist der Mangel des positiven* οὐκῶν *igitur.*

[3]) Cf. Birkler p. 10: *Wie mit* δέ, *so ist Xenophon ein andermal verschwenderisch mit* οὐκοῦν. Gleiniger, de Xenophontis libello, qui πόροι inscribitur, p. 55: οὐκοῦν *particulam et* γοῦν *apud*

Et postquam οὐκοῦν fere pro οὖν usurpari coeptum est (Apollon. οὐ μακρὰν πέπτωκε τῶν καλουμένων συλλογιστικῶν), non modo conclusivam, sed mox etiam quamlibet aliam particulae οὖν vim adripuit. sic apud Isocratem IIII 184, quae antecesserunt, complectitur, apud Xen. Cyr. IIII 3, 17 οὐκοῦν initio apodosis positum significat antecedentia comprehendi, apud Plat. Hipp. I 295e hac particula syllogismi proposita coniunguntur, apud Xen. de vect. I 3 explicatio instituitur, cf. Lys. ed. Gebauer p. 251 sq.

3.

In responsis et, ubi enuntiatum eis, quae antecesserunt, ita adiungitur, ut coniunctio non desideretur, nonnumquam adverbialis particulae οὔκουν vis observatur, quam grammatici antiqui manifesto testati sunt, cf. Suidam: οὔκουν· οὐδαμῶς, ceterique copiosius.[1]) neque inde, quod οὔκουν aeque atque οὐκοῦν ut ceteris locis ita hac significatione semper primum locum obtinet, quicquam contra grammaticos illos colligi potest, id quod fecerunt Breitenbach p. 110[2]) et Baeumlein p. 193. cuius usus exempla, quae ex Herodoto adferri solent, omnia aliter explicanda videntur; sed unus locus Thucydidis III 113, 4 huc adferendus est, quamquam Classen artibus interpretandi conclusivum contextum sententiarum ostendere conatus est; Gorg. Pal. 12 ἀλλ' ὑπὲρ τειχῶν ⟨διὰ⟩ κλίμακος; οὔκουν· ἅπαντα γὰρ πλήρη φυλάκων; ex Antiphonte autem, qui uno tantum loco (V 67) οὐκ οὖν (rectius puto apud eum quam οὔκουν) scripsit, Wetzell p. 23 falso in hoc numero III δ 9 duxit, in quem locum οὖν prava coniectura irrepsit; Isocr. XV 313 particulam οὔκουν verbo interiecto γὲ sequitur, quod saepe, si in οὔκουν haec inest significatio, adponitur praecipue a Platone (Phaedr. 258c, Lach. 192d, Pol. 283b; Xen. An. III 5, 6, Oec. I 9).

4.

Praeterea sunt loci, quibus enuntiatum ab οὔκουν incipiens ratione concessiva cum eo, quod praegressum est, conectatur. quam difficultatem Baeumlein sustulisse sibi visus est, cum p. 195 haec diceret: *Da die Bedeutung des einfachen* οὖν *in manchen Fällen sich so abgeschwächt hat, dass es . . . nur überhaupt einen einstimmigen Zusammenhang anzeigt, so darf es nicht auffallen, wenn auch* οὔκουν *so sich gebraucht findet, dass die Bedeutung des* οὖν *erloschen*

---

neminem saepius quam apud Xenophontem invenias. Κωνσταντινίδης, περὶ τῆς γνησιότητος τοῦ ἐρωτικοῦ τοῦ Λυσίου (Ἀθήναιον IIII 45): οὐκοῦν εἶνε λίαν σύνηθες παρὰ Πλάτωνι.

[1]) Perperam autem nonnulli hanc particulae vim deprehendere sibi visi sunt, ubi particula duo enuntiata coniungente opus est, velut Her. I 209, III 118, IIII 11, quibus locis ὦν coniunctio conclusiva est.

[2]) Qui haec disputat: *Selbst der Umstand, dass* οὔκουν *immer die Stelle im Anfang des Satzes oder zu Anfang eines Abschnittes in demselben einnimmt, nicht aber in der Mitte der Worte, wie es bei* οὐ *der Fall sein kann, deutet wohl unzweifelhaft darauf hin, dass diese Partikel überall eine enge und nothwendige Verbindung mit dem Vorhergehenden bewirkt.*

scheint. alii autem peculiaris talium locorum indolis ratione habita impeditum explanandi modum excogitaverunt, quem brevibus adumbrabo. etenim cum permultis locis eius generis enuntiatum ab οὔκουν incipiens causam contineat sequentis enuntiati aut certe facili negotio ita torqueri possit interpretando, ut sententia, quae excipit, ex illo videatur consequi, particulam οὖν, quae enuntiato causali praeposita est, ad alterum enuntiatum, quod sine coniunctione vel particula δέ vel δή adnecti solet, referendam esse illi docent.[1]) velut Her. I 59 συνεβούλευε Ἱπποκράτεϊ πρῶτα μὲν γυναῖκα τεκνοποιὸν μὴ ἄγεσθαι ἐς τὰ οἰκία, εἰ δὲ τυγχάνει ἔχων, δεύτερα τὴν γυναῖκα ἐκπέμπειν, καὶ εἴ τίς οἱ τυγχάνει ἐὼν παῖς, τοῦτον ἀπείπασθαι· οὐκ ὦν ταῦτα παραινέσαντος Χίλωνος πείθεσθαι ἐθέλειν τὸν Ἱπποκράτεα, γενέσθαι οἱ μετὰ ταῦτα τὸν Πεισίστρατον, ubi sententiam γενέσθαι οἱ μετὰ ταῦτα τὸν Πεισίστρατον τοῦτον non effici sententia superiore συνεβούλευε Ἱπποκράτεϊ eqs., sed si ullius enuntiati, verborum οὐκ ὦν . . . πείθεσθαι ἐθέλειν τὸν Ἱπποκράτεα consequentiam esse luce clarius est, ita explicari volunt, ut ὦν mente coniungamus cum enuntiato γενέσθαι οἱ μετὰ ταῦτα τὸν Πεισίστρατον τοῦτον. ita fit, ut ὦν, quod mirum in modum in enuntiato causali collocatur, consequentiam significet, antequam ea sententia enuntietur, ex qua illa altera colligatur;[2]) neque omnino, quo modo haec enuntiata cum verbis antecedentibus cohaereant, ab illis curari videtur.

Quam ob rem ego alium propono explicandi conatum, quem multo simpliciorem et non minus rationi quam loci uniuscuiusque sententiae accommodatiorem esse spero. etenim si coniunctione οὖν significatur aliquid ex eis, quae antecesserunt, consequi, particula οὐκ autem in initio enuntiati posita vim habet ad totum hoc enuntiatum, sponte intellegitur, quo modo natus sit nexus sententiarum, quem omnibus eius modi locis inesse supra diximus, con-

---

[1]) Vide quae Kuehner p. 713 exposuit: *Herodot gebraucht es in der Bedeutung 'nicht daher', aber so, dass er den negativen Begründungssatz mit οὐκ ὦν vorausschickt, dann aber den Folgesatz, dem das ὦν angehört, folgen lässt.* Adde quae Abicht ad Her. I 11 adnotavit: *H. pflegt im parataktischen Satzgefüge den Begründungssatz, wenn derselbe den negativen Beweggrund enthält, dem Hauptsatz, der dem Gedanken nach Folgesatz ist, mit οὐκ ὦν vorauszuschicken. Der Hauptsatz, zu welchem dem logischen Zusammenhange nach das vorausgeschickte ὦν gehört, folgt meist asyndetisch nach.* Hoffmann denique p. 8 sic disputat: *Einen Uebergang zu der consecutiven und conclusiven Bedeutung zeigt οὐκ ὦν in denjenigen Fällen, in denen dem Folgesatze der negative Begründungssatz mit οὐκ ὦν vorangeht; derselbe sagt aus, dass das Beabsichtigte oder Erwartete thatsächlich nicht eintritt.* a quibus Stein aliquantum abhorret, qui ad I 11 haec adscripsit: *Das Motiv,* inquit, *der im Hauptsatz enthaltenen Handlung ist diesem nicht nach gewohnter Satzbildung in Form eines Nebensatzes* (ἀλλὰ ἐπεὶ . . .), *sondern als selbständiger Satz vorausgeschickt, während der Hauptsatz selber asyndetisch folgt.*

[2]) Quae quam absurda essent, Stein animadvertit, qui in censura libelli ab Hoffmanno conscripti in Bursiani annal. XXXXII 156 haec dixit: *Die dem Autor so geläufige und eigenthümliche Verwendung von οὔκων zu parataktischer Satzbildung ist hier in ihrem eigentlichen Wesen sowenig erkannt, wie die ihr zugrunde liegende und auch sonst erscheinende adversative Bedeutung.* nec tamen omni ex parte ei adstipulari possum, quia particulae ὦν sine dubitatione aut argumentatione vim concessivam adtribuit, quae in ea ipsa re vera non inest.

cessivus; is enim continetur consequentia, ut ita dicam, negata. cui simile quid vidimus in Ant. VI 46 (p. 180). hac sententia accepta iam nullo negotio ii quoque loci quasi illustrantur, quibus particulae οὔκουν praegreditur secundarium enuntiatum concessivum. sed videamus exempla.

Plurimi loci sunt in libris Herodoteis: I 11 (ἱκέτευε μή μιν ἀναγκαίῃ ἐνδεῖν διακρῖναι τοιαύτην αἵρεσιν· οὐκ ὦν δὴ ἔπειθε, ἀλλ' ὥρα ἀναγκαίην ἀληθέως προκειμένην), 24, 59, quibus locis in enuntiato, cuius primum locum οὐκ ὦν occupavit, verbum finitum est πείθειν vel πείθεσθαι, unde audimus, cum quiddam factum sit, ut quidam permoveretur, id non contigisse; II 141 (μετὰ δὲ ἐπ' Αἴγυπτον ἐλαύνειν στρατὸν μέγαν Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων· οὐκ ὦν δὴ ἐθέλειν τοὺς μαχίμους τῶν Αἰγυπτίων βωθέειν), V 96, VI 52 (*Lacedaemonii fratrem natu maiorem regem declarare constituerunt, nec tamen, utrum crearent, sciverunt)*, VII 15; I 206 *(quamquam te id rogo, tamen mihi non obtemperabis)*, IIII 118 (τὠυτὸ νοήσαντες ἀντιάζωμεν τὸν ἐπιόντα. οὐκ ὦν ποιήσετε ταῦτα· ἡμεῖς μὲν πιεζόμενοι ἢ ἐκλείψομεν τὴν χώρην, ἢ μένοντες ὁμολογίῃ χρησόμεθα), V 92 fin., VII 10β, quibus quattuor locis enuntiatum ab οὐκ ὦν incipiens locum obtinere videtur enuntiati condicionalis; III 137 (ταῦτα λέγοντες τοὺς Κροτωνιήτας οὐκ ὦν ἔπειθον) et 138 (πειθόμενοι δὲ Δαρείῳ Κνίδιοι Ταραντίνους οὐκ ὦν ἔπειθον) post participium concessivum significatio particulae concessiva certissima est; eodemque modo interpretor II 20 πολλάκις δὲ ἐτησίαι μὲν οὐκ ὦν ἔπνευσαν, ὁ δὲ Νεῖλος τὠυτὸ ἐργάζεται: inde quod etesias efficere, ut Nili aquae augeantur, quidam contendunt, Herodotus rationem sententiarum invertens colligit, si Nilus crescat, necesse esse etesias flare; atque ut hanc opinionem suo iudicio falsam refellat, nobis narrat saepe, etiamsi Nilus crescat, tamen non flare etesias. sententia illa concessiva, quamquam in altero demum membro verbis exprimitur (ὁ δὲ Νεῖλος τὠυτὸ ἐργάζεται), tamen iam in priore membro scribendo animo eius obversata est, eaque de causa scripsit οὐκ ὦν ἔπνευσαν. haec omnia Herodoti exempla sunt, qui omnium maxime hunc usum frequentavit atque ad suam ipse naturam, ut ita dicam, derexit.

Similis usus conspicitur Thuc. II 43, 1, ubi enuntiatum concessivum antecedit. deinde in hunc numerum adscribo And. I 40 et [IIII] 37, quo loco scripturam traditam sic intellego: *etiamsi alii mihi ista obloquantur, tamen non est iustum homines expellere, qui* (ut ego) *saepe iam a iudicibus liberati sunt.* apud Platonem autem his locis concessiva vis particulae οὔκουν cognoscitur: de legg. VII 810 e, Epin. 974 e, quo utroque loco γὲ additur.

Continetur igitur hic usus eis scriptis, quae ad sermonem vulgarem propius accedunt.

IIII.

Denique quaeramus, quem locum οὖν occupare soleat. id enim tantum inter omnes hucusque constat plerumque particulae οὖν alterum locum enuntiati tribui, nisi μέν antecedit, qua cum voce οὖν apud oratores multo

saepius coniunctum legitur quam solum. eodemque modo cum omnibus, post quas adverbialem vim voculae οὖν observari diximus, particulis consociatur ita, ut, si eae non primam enuntiati sedem tenent, οὖν etiam longius quam illae ab initio removeatur, cf. Thuc. I 10, 5 πρὸς τὰς μεγίστας δ' οὖν καὶ ἐλαχίστας ναῦς.

Magna copia locorum collata intellexi scriptores huic coniunctioni sedem suam multo minus servare studuisse quam particulae γάρ, quae si cum οὖν concurrit, semper praeponitur. nam cum voculae δή et ἄν semper post γάρ collocentur, coniunctioni οὖν tum praeponuntur tum postponuntur; de δή videas Hoffmann p. 6 sq.,[1]) deinde cf. Thuc. I 9, 4 οὐκ ἂν οὖν, 76, 4 ἄλλους γ' ἂν οὖν, 77, 6, III 64, 4, Ant. V 90, de Ath. rep. I 7, III 13, Lys. I 45, VIII 7, XVIIII 33, [XX] 15, Isocr. VII 36, XI 30 ἴσως ἂν οὖν, Xen. de rep. Lac. II 8 εἴποι δ' ἂν οὖν τις, ubi etiam δ' et οὖν interposita vocula ἄν dirimuntur, V 9 οὐκ ἂν οὖν; contra Ant. V 67 οὐκ οὖν ἄν, de Ath. rep. I 8 εἴη μὲν οὖν ἄν, quia μέν et οὖν numquam disiunguntur, Isocr. V 39 τάχ' οὖν ἄν et XV 221 ἴσως οὖν ἄν.

Si autem enuntiatum a nomine incipit, consuetudo fert, ut οὖν item atque γάρ inter articulum et nomen inseratur, cf. Her. III 16, And. [IIII] 42, Lys. XVIIII 35, Xen. Comm. II 1, 2, Plat. Conv. 214 b; sed οὖν multo saepius quam γάρ post articulum et nomen legitur, cf. Her. VI 13, Thuc. VI 57, 3, Ant. I 12, And. I 14, III 33.

Deinde οὖν eo saepe in locum inferiorem removetur, quod praepositio primo loco posita nomen proximum plurimis locis ad se quasi adtrahit, nisi μέν intercedit, quam particulam οὖν semper continuo sequitur. tamen ea consuetudo nequaquam constanter observatur, praesertim si certae adsunt causae, cf. Her. IIII 118 ἐπὶ τούτων ὦν τῶν καταλεχθέντων ἐθνέων, V 82, VIII 7 πρὸς ταῦτα ὦν, VII 51 ἐς θυμὸν ὦν, VI 79, contra III 52 πρὸς ὦν δὴ τοῦτο τὸ κήρυγμα; Thuc. II 41, 5 περὶ τοιαύτης οὖν πόλεως, 70, 3 ἐπὶ τοῖσδε οὖν, IIII 9, 4 κατὰ τοῦτο οὖν, 25, 1 ἐν τούτῳ οὖν τῷ μεταξύ, 103, 1, VIII 67, 1, contra VI 21, 1 πρὸς οὖν τοιαύτην δύναμιν, III 22, 3 κατὰ οὖν μεταπύργιον, VII 68, 1, quibus addas IIII 118, 4 περὶ μὲν οὖν τούτων; Gorg. Pal. 27 πρὸς μὲν οὖν σέ, 31 τίνος οὖν ἕνεκα; Ant. I 4 πρὸς τίνας οὖν, V 66, VI 46 διὰ τί οὖν, contra I 10 διὰ οὖν ταῦτα et I 13 περὶ μὲν οὖν τούτων; de Ath. rep. quinquies διὰ τοῦτο vel ταῦτα οὖν (v. p. 180), sed I 1 διὰ μὲν οὖν τοῦτο; And. III 12 et [IIII] 7 περὶ μὲν οὖν τούτων, [IIII] 10 περὶ μὲν οὖν μοιχείας; Lys. IIII 5 διὰ τί οὖν, VIIII 22, XVII 1 (Isocr. XVII 3) ἐξ ἀρχῆς οὖν atque etiam XXIII 10 ἐφ' οἷς μὲν οὖν et XXXII 26 καθ' ἕκαστον μὲν οὖν, quamquam μὲν οὖν continuo post praepositionem collocari solet, contra IIII 20 πρὸς οὖν παίδων καὶ γυναικῶν καὶ θεῶν, XVIIII 29, 58 ἐν οὖν τοσούτῳ χρόνῳ. sed semper fere, si praepositionem articulus cum nomine suo sequitur, οὖν continuo post praepositionem

---

[1]) Qui Herodotum ὦν tum potissimum particulae δή praeposuisse exponit, si utraque vox inter articulum et substantivum inserebatur aut coniunctionem initio enuntiati secundarii positam sequebatur.

positum invenitur, cf. Her. I 46, Thuc. III 45, 1, Lys. I 7, Isocr. VIII 131, contra Her. I 85 ἐν τῇ ὦν παρελθούσῃ εὐεστοῖ, si modo ista scriptura recte retinetur.

Neque vero in universum scriptores multum curabant, ut οὖν altero enuntiati loco collocaretur. quod cum ex eis Herodoti et Hippocratis locis intellegitur, quibus οὖν in intervallo tmesi, quae vulgo dicitur, effecto positum est, tum ex his locis: Her. VII 153 θωῦμά μοι ὦν καὶ τοῦτο γέγονε, Thuc. I 91, 7 ἢ πάντας οὖν ἀτειχίστους ἔφη χρῆναι ξυμμαχεῖν, VI 64, 1 τοιόνδε τι οὖν, ubi pronomen indefinitum similiter interpositum est atque Ant. VI 42, And. I 95 ἄλλο τι οὖν, III 23 ποίαν τιν' οὖν, Lys. XXII 5 ἄλλο τι οὖν, And. III 26 μὴ βοηθούντων μὲν οὖν, Xen. Comm. III 11, 7 καὶ ἐμοὶ οὖν, Plat. Phaedr. 258 c οἴει τινὰ οὖν τῶν τοιούτων . . . ὀνειδίζειν.

ΤΟΙΝΥΝ.

I.

Pro coniunctione οὖν saepe promiscue ponitur τοίνυν, quod in universum idem significat quod illa particula, numquam vero adverbialem eius vim prae se fert. itaque in describendo eius usu eundem ordinem servabimus, quem nobis, cum de coniunctione οὖν actum est, proposuimus. nec supervacaneum erit oratorum ita, ut consuevimus, rationem habere, etsi Rosenberg ann. phil. CVIIII 109 sqq. egregiam disputationem conscripsit: die Partikel τοίνυν in der attischen Dekas, quippe in qua non satis respiciatur, quid particula illa significetur.

1.

Primum igitur dicendum est particula τοίνυν verbum vel enuntiatum, quod proxime praecedit, r e p e t i, velut And. II 12, I 90 (post ius iurandum), 143. sed plerumque unum enuntiatum vel adeo plura intercedunt, post quae verbum vel enuntiatum praegressum pronomine demonstrativo aliove modo in memoriam revocatur, cf. And. II 2; I 93, 94, quo utroque loco, quamvis contrariae sint sententiae, cavendum est, ne id particula τοίνυν significari putetur, quippe qua numquam adversativus sententiarum contextus indicetur.[1]) aliis locis vocula τοίνυν sententiae post parenthesim inducuntur, quae totae fere ad antecedentia nos quasi relegant aut ea renovando aut ab illis ad alia traducendo, cf. Her. VIIII 46, Thuc. V 105, And. II 20, 23, III 13, ubi verba ἡμεῖς τοίνυν eqs. responsum continent interrogationis διὰ τί καὶ πολεμήσωμεν;

---

[1]) Cf. quae Rosenberg p. 118 dicit: *Eine adversative Bedeutung in der Partikel zu finden, hindert schon die Bedeutung ihrer einzelnen Bestandtheile;* similiter Blass in Bursiani annal. VIIII 255.

Ita factum est, ut τοίνυν etiam tum poneretur, cum sententia non ad certum locum, qui antecessit, referenda erat, sed ad universam eam argumenti partem, quae tum menti scriptoris obversabatur, veluti And. III 39 digressione absoluta orator iam ad rem ipsam revertitur. simili ratione magnum numerum locorum inprimis Xenophonteorum explicandum esse arbitror, quibus pronomini ἐγώ adponitur τοίνυν, si quidem is, qui loquitur, ad suam personam quodam modo regreditur, cf. Lys. XVI 7.

2.

Sicut οὖν, ita etiam τοίνυν legitur, si ea, quae antecesserunt, comprehenduntur, quod fere fit pronomine demonstrativo, cf. Gorg. Pal. 11, de Ath. rep. I 9, II 3, III 8, And. II 8, 13, I 35 (post nomina reorum), 127 (μετὰ ταῦτα τοίνυν, quae verba sescenties occurrunt), III 23 (ὅμως τοίνυν ταῦτα), [IIII] 15, Lys. XVI 15 (μετὰ ταῦτα τοίνυν, § 13 legitur πρῶτον μὲν γάρ), Xen. Cyr. I 1, 5 καὶ τοίνυν eadem fere significatione dictum est. neque vero necesse est pronomen demonstrativum in ipso initio enuntiati ponatur, cf. Ant. VI 26, And. I 86 (quem locum a Rosenbergio omissum ita intellego, ut τοίνυν per transgressionem ad τουτουσί referam, quod pronomen enuntiato secundario inserto longius ab initio remotum est), 140, Lys. X 6 (post Μάρτυρες).

Nonnumquam autem scriptor toto enuntiato ea, quae praegressa sunt, complectitur simulque concludit, cf. Ant. fr. 1, And. II 19.

Quamquam igitur coniunctione τοίνυν non secus atque οὖν antecedentia comprehendi significatur, tamen rarius ac tantum fere inferiore aetate cum μέν coniungitur, quod totiens iuxta οὖν legitur, v. C. Schepe, de transitionis formulis p. 28; sed cf. Ant. IIII α 7, Thuc. V 87, 105.

3.

Conclusiva vis, quae genuina huius particulae esse videtur, cum aliis tum his locis animadvertitur: Thuc. III 45, 4, Ant. V 60, And. I 32, 148, 149, Lys. XXXII 18 (πρῶτον μὲν γὰρ . . . Μάρτυρες, 19 ἀξιῶ τοίνυν). nonnumquam etiam e sententia, quae rhetoricae interrogationi antecedenti subest, aliquid colligitur, veluti And. II 8, III 16. si autem τοίνυν in secundario enuntiato ineunte exstat, conclusio continetur aut hoc ipso, cf. Her. VII 9 β, And. III 40, aut enuntiato primario, quod sequitur, cf. Her. I 57, And. III 13 (sententiarum conexus hic est: verbis antecedentibus Andocides narravit, quae causae bellandi Atheniensibus fuissent, quas easdem solas causas esse, cur iustum bellum inferri posset, exposuit. quibus condicionibus sublatis denuo quaestionem, qua de causa belletur, oriri colligit), Xen. Comm. I 2, 35 (ἵνα τοίνυν μὴ ἀμφίβολον ᾖ, ὁρίσατέ μοι *quae cum ita sint, definite mihi, ne res sit in ancipiti)*; cf. supra de And. I 86.

4.

Iam antiquis temporibus τοίνυν ibi quoque adhiberi coeptum est, ubi enuntiata non artiore sententiarum necessitudine cohaerebant, cum particula οὖν tum nondum tam frequenter hoc modo usurparetur.

Ac plerumque adnectitur res diversa quidem ab eis, quae praegressa sunt, sed cum universo argumento congruens. velut And. I 15, postquam primam narrationis partem § 14 verbis πρώτη μὲν ὦ ἄ. μήνυσις ἐγένετο αὕτη eqs. conclusit, loqui pergit quaestione de Diogneto habita his verbis δευτέρα τοίνυν μήνυσις ἐγένετο, ubi coniunctionem τοίνυν, quippe quae nusquam adversativam habeat vim, particulae μέν non respondere vix est, quod moneam; 23, de quo loco infra disputabitur; 92[1]) et 144, quo loco utroque a verbis σκέψασθε τοίνυν nova pars incipit. plane eodem modo τοίνυν invenitur Gorg. Pal. 13 (σκέψασθε τοίνυν καὶ τόδε), si Reiskii emendationem satis probabilem accipimus; qua reiecta quod Rosenberg (p. 117) rursus ad scripturam codicum κοινῇ, quae sensu prorsus carere mihi videtur, recurrit, mea quidem sententia haud recte fecit. alia eius usus exempla sunt Lys. XXXII 21, 22, Isocr. XII 59, cf. Ljungdahl p. 22.

Maxime autem perspicua et manifesta haec vis particulae τοίνυν est, ubi legitur ἔτι τοίνυν, cuius usus testimonia congesserunt Schneider in ed. Isocratis I 51 et Gebauer in ed. Lysiae p. 485. eadem ratione Xenophon saepius dixit καὶ τοίνυν, quam locutionem a sermone oratorum decem illorum alienam fuisse Rosenberg p. 118 docuit: Cyr. IIII 2, 35, V 1, 4, Oec. X 1, quo loco sicut plerisque καί et τοίνυν verbo dirimuntur.

Denique hic adferenda sunt verba φέρε δὴ τοίνυν, quae Andocidis propria esse Rosenberg p. 113 et Gebauer in ed. Lys. p. 228 contenderunt, ego vero ea non solum And. I 21, 90, 117, 128 repperi, sed etiam de Ath. rep. III 5.

---

[1]) Hic locus ita, ut traditur, ferri non posse mihi videtur. cum enim iudices verbis σκέψασθε τοίνυν admoneantur, ut aliud quiddam respiciant, fieri non potest, ut leges, de quibus §§ 70—89 actum est, iterum commemorentur, praesertim cum verbis καὶ τοὺς νόμους additum sit καὶ τοὺς κατηγόρους. immo postquam de legibus et de variis generibus iuris iurandi expositum est, iam dicturus est Andocides de accusatorum sceleribus, quae ita persequitur, ut, qua quisque lege poenaque teneatur, ostendat. loci igitur sententia commendantur ea, quae Lipsius disseruit Philol. Anz. VI 235, adn. 1: *Beiläufig sei bemerkt, dass die einleitenden Worte dieses ganzen Abschnittes im Anfang von § 92 erst dann zu ihrem vollen Rechte kommen, wenn man die Worte* καὶ τοὺς νόμους *nicht mit Reiske und Blass streicht, sondern mit der schon von Luzac vorgeschlagenen Aenderung des* καί *in* κατά *hinter* ὑπάρχον *umstellt.* sed e re palaeographica veri similius est verba κατὰ τοὺς νόμους post καὶ τοὺς κατηγόρους collocata fuisse, ubi propter membrum finitimum magis erant obnoxia corruptelae. quae ubi primum depravata sunt, facile transponi poterant a librario, qui αὐτοῖς ad κατηγόρους referendum esse intellexit. quae cum ita sint, hanc scripturam propono: σκέψασθε τοίνυν ὦ ἄ. καὶ τοὺς κατηγόρους, κατὰ τοὺς νόμους τί αὐτοῖς ὑπάρχον ἑτέρων κατηγοροῦσι.

quibus locis omnibus rem novam orditur scriptor, id quod singulis locis inspectis demonstremus. de Ath. rep. III 4 et 5 postquam res ipsae expositae sunt, ad iudicium de eis pronuntiandum transitur; And. I 90, 117, 128 novas orationis partes institui iam Linder vidit; accuratius vero § 21 cum proximis sectionibus considerandae sunt, quem locum totum nec Becker nec Linder intellexerunt. ille enim, ut alia praetermittam, § 23 τοίνυν reddidit voce *jedoch,* hic sententias loci his verbis p. 67 complexus est: *quod insimulant accusatores patrem meum a me indicatum esse, calumniantur; nam a) si hoc veri simile esset, longe aliter me gessissem ac fecisse me notum est* §§ 19—23, *b) si conscius huius sceleris mihi fuissem, non hic mansissem iudiciumque subissem* § 24. cuius dispositionis in parte priore *(a)* multa omissa sunt, pars altera *(b)* omnino abhorret a verbis Andocidis. is enim se patrem prodidisse negat quinque argumentis allatis, ad quae accedit sextum, quod ei praeter voluntatem quasi ex ore elabitur (§ 20 καὶ μὲν δὴ ... ἀποθανεῖν). etenim si patrem indicasset, mirum in modum sibi repugnasset, cum eum rogaverit, ut maneret; deinde ipse pater non mansisset, cum secundum legem aut ipse aut filius extremo supplicio adfectus esset. novum idque tertium argumentum digressione illa interposita incipit a verbis φέρε δὴ τοίνυν: ne amici quidem permisissent, ut moraretur. haec argumenta, quibus quaedam est similitudo, relinquit orator particulis ἀλλὰ γάρ, quae initio quarti leguntur, illatis: *Speusippus certe data occasione mentionem fecisset huius indicii;* denique *quisquis aliquid habet, extemplo proferat.* quod huic loco (§ 23) antecedit ἐγὼ μὲν οἶμαι, non impedit, quo minus particula τοίνυν ordinem argumentorum continuari statuamus, cf. Dem. VIII 38 ἐγὼ μὲν γὰρ οὐχ ὁρῶ. Εἰσὶ τοίνυν τινὲς . . .

Cum ergo iam videamus verborum φέρε δὴ τοίνυν semper eandem esse vim, ut nova res antecedentibus adnectatur, examinemus, num recte I 49, ubi in libro A post ἀδικεῖν lacunam duodecim litterarum esse traditur, Linder p. 69 suppleverit φέρε δὴ τοίνυν; cui Kayser Mus. Rhen. XVI 79 adsensus est his verbis: *Linders Vorschlag scheint durch die* §§ 21, 90, 117, 128 *genügend bestätigt zu werden.* quae res utrumque fefellit. inest enim in enuntiato εἰ ἤκουσάς τι τούτου τοῦ πράγματος τοῦ γενομένου, εἰπέ non transitus ad rem novam, sed consequentia, ac verba antecedentia nulla alia de causa pronuntiata sunt, quam ut hanc sententiam quasi praemuniant. sed cum nihil desiderari videatur atque ob eam rem putandum sit olim coniunctionem conclusivam quoddam lacunae spatium occupasse, magna cum veri specie τοίνυν restitui potest, de quo iam Reiske cogitavit. neque tamen cum Sauppio τούτων τοίνυν inserere velim; molesta enim haec est similium verborum cumulatio τούτων τοίνυν . . . τι τούτου τοῦ πράγματος. immo, cum numerus duodecim litterarum non nimis urguendus sit, Andocidem haec scripsisse suspicor: σὺ τοίνυν ἤδη, εἰ ἤκουσάς τι τούτου τοῦ πράγματος τοῦ γενομένου, εἰπέ vel tale quid; quamquam pro certo nihil adfirmari posse consentaneum est. sed haec hactenus.

Alii loci ita sunt comparati, ut τοίνυν sicut οὖν ponatur, ubi explicatio instituitur, cf. Gorg. Pal. 7 τοῦτο τῷ λόγῳ δυνατὸν γενέσθω· καὶ δὴ τοίνυν σύνειμι καὶ σύνεστι κἀκεῖνος ἐμοὶ κἀκείνῳ ἐγώ, cum § 11 pro καὶ δὴ τοίνυν scribi malim καίτοι νῦν δή transposita particula δή, Thuc. V 89, And. III 3, Isocr. IIII 28, V 99.

Deinde τοίνυν legitur, cum ea, quae antea in universum dicta sunt, ad eam ipsam rem, de qua est sermo, adhibentur, cf. quae Rehdantz p. 288 dicit: *wo von einer Behauptung die Nutzanwendung auf den vorliegenden Fall gemacht wird.* cuius usus testimonia in scriptis antiquioribus non inveni praeter ea, quae Wetzell p. 32 adtulit: Ant. IIIβ 7, VI 26, 31, V 83. sed ne ea quidem omnia iure huc referuntur; nam V 83 et VI 26 antecedentia pronomine demonstrativo comprehenduntur, VI 31 conclusio particula τοίνυν significatur. maiore existimo iure hic nominari posse hos locos: [And.] IIII 35, 40, Isocr. III 15, Aesch. II 121.

Neque neglegendum est nonnumquam a scriptoribus aetatis inferioris propositionem minorem, quam dicunt, maiori coniunctione τοίνυν adiungi, cf. Gebauer, de argumenti ex contrario formis p. XXIII, Ebhardt, die sprachlichen Formen, mit welchen die Glieder des Schlusses im Griechischen und Lateinischen eingeführt werden, p. 9.

Quamquam igitur satis saepe τοίνυν cum quadam libertate usurpatum est, tamen recte Rehdantz p. 288 haec statuit: *Zu einer ganz äusserlichen Anfügung kann auch das metabatische* τοίνυν *nicht dienen.* inveniuntur quidem loci apud Xenophontem, qui ad illum particulae τοίνυν usum, quem reperiri Rehdantz negavit, certe propius accedunt, velut Hell. VII 4, 3 ὄντων γὰρ παμπόλλων πλοίων ἐκλεξάμενος τούτων, ὃ ἐβούλετο, καὶ συνθέμενος τοίνυν ἀποβιβάσαι, ὅποι αὐτὸς κελεύοι, εἵλετο eqs., Hipp. VII 6.

5.

Coniunctionem οὖν non raro m e d i i s in e n u n t i a t i s ita positam esse supra vidimus, ut non tota enuntiata, sed eiusdem periodi partes conectat. contra coniunctio τοίνυν tali modo rarissime invenitur. duo enim tantum indagavi eius usus exempla: And. III 30 Συρακούσιοι δ' ὅτε ἦλθον ἡμῶν δεόμενοι . . ., ἡμεῖς τοίνυν εἱλόμεθα καὶ τότε πόλεμον voce τότε totum enuntiatum temporale, quod antecessit, nobis in memoriam revocatur; Isocrates IIII 44, quae antecedunt, complectitur verbis τοσούτων τοίνυν ἀγαθῶν . . . ἡμῖν γιγνομένων.

II.

His expositis iam, quae sit particularum οὖν et τοίνυν in scriptorum Atticorum libris f r e q u e n t i a, inquirendum mihi esse videtur. primo igitur scriptores particula οὖν saepissime, vocula τοίνυν rarissime usi sunt. certe apud Herodotum cum οὖν in earum coniunctionum numero sit, quae satis crebro

usurpantur (VII 153 ter legitur), permultas sectiones percurras oportet, priusquam unum τοίνυν inveneris. atque in omnibus libris Thucydidis quinquies τοίνυν (III 45, 4, V 87, 89, 105, VIII 53, 3) reperitur, quos locos omnes in orationibus Atheniensium inesse memoratu dignum est. namque in vulgari Atticorum sermone particula τοίνυν, dum Gorgias Antiphon Thucydides orationem suam ab illo diversam excolentes τοίνυν ab ea arcent, magis magisque increbruerat, quae res inde elucere videtur, quod ii scriptores, qui rursus ad sermonem vulgarem descendere conabantur, velut Andocides, aliquanto saepius τοίνυν admiserunt. quam autem rationem in ea re secuti sint, facillime ex tabula infra proposita intelleges.

		οὖν	τοίνυν	loci, quibus τοίνυν legitur
Gorgiae	Hel.	10	0	
	Pal.	21	4	7, 11, 11, 13
Antiphon		87	7	IIIβ 7, IIIIα 7, V 60, 66, 83, VI 26, 31
De Ath. rep.		17	5	I 9, II 3, III 5, 7, 8
Andocides	II	6	8	2, 8, 8, 12, 13, 19, 20, 23
	I	49	21	15, 21, 23, 32, 35, 50, 86, 90, 90, 92, 93, 94, 117, 127, 128, 140, 143, 144, 148, 149, 150
	III	22	9	3, 13, 13, 16, 23, 29, 30, 39, 40
	[IIII]	9	3	15, 35, 40

Eadem ratio mansit per tempora, quae secuta sunt. atque adeo in nonnullis scriptis, quamquam in universum οὖν particulam τοίνυν numero superat, res est contraria, velut in Lysiae oratione VII. οὖν semel, τοίνυν ter decies legitur. quem usum frequentiorem particulae τοίνυν e sermone vulgari receptum esse eo quoque intellegitur, quod Isocrates et Demosthenes in eis orationibus, quae ad illum sermonem propius accedunt, multo saepius quam in ceteris ea usi sunt, cf. Rosenberg p. 115.

III.

Denique notandum est τοίνυν numquam ab illis quidem scriptoribus, de quibus nos agimus, in prima enuntiati sede collocari.[1]) plerumque continuo post primam vocem legitur, etiamsi eo modo articulus a suo nomine, cf. Lys. XVIIII 47, 57, XXX 18, aut duo vocabula arte coniuncta, veluti οὐ μόνον: And. [IIII] 15 (οὐ τοίνυν ταῦτα μόνον), Aesch. II 55 (οὐ τοίνυν μόνον ταῦτα), Xen. Comm. I 4, 13, disiunguntur.

---

[1]) Ceterum cf. W. Schmid, der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dion. Hal. bis auf den zw. Phil. p. 50.

Non paucis tamen locis τοίνυν tertium locum obtinet, praesertim si μέν vel δή antecedit, cf. Gorg. Pal. 7, And. I 117, III 23. item si enuntiatum a praepositione incipit, saepissime in tertia enuntiati sede τοίνυν positum est, cf. Ant. VI 26 εἰς πάντα τοίνυν ἐγὼ ταῦτα, de Ath. rep. I 9 ἀπὸ τούτων τοίνυν τῶν ἀγαθῶν, And. I 127 μετὰ ταῦτα τοίνυν et sic semper, Lys. XXXII 21 εἰς Διονύσια τοίνυν, Isae. XII 10 πρὸς τούτοις τοίνυν, minus saepe in altera, cf. Ant. fr. 1 περὶ τοίνυν ὧν, Isocr. V 109 περὶ τοίνυν Ἡρακλέους, Isae. III 72 ἐκ τοίνυν τούτων, contra Isocr. XII 57 ἐκ τούτων τοίνυν. semper vero coniunctio continuo post praepositionem collocabatur, si primum verbum eorum, quae a praepositione pendent, articulus est; quam legem etiam Rosenberg p. 114 ab Isocrate observatam esse intellexit, cf. Lys. XXXII 22, Dem. XXVIIII 37.

Rarissime autem alias τοίνυν in tertium enuntiati locum removetur, veluti And. III 40 τὴν αὐτὴν τοίνυν ἀρχήν, Isocr. XVII 51 τὸ τελευταῖον τοίνυν, Isae. XII 5 οὐ μόνον τοίνυν, Plat. Theaet. 145 e τοῦτ' αὐτὸ τοίνυν.

Sed scriptores posteriores plus sibi in ea re indulserunt, veluti Xenophon τοίνυν semper fere a καί removit, qua de causa τοίνυν apud eum subinde quartam sedem obtinet, veluti Hipp. VII 3, Oec. V 2, cf. Dem. XXXXIIII 52 τὸ μετὰ ταῦτα τοίνυν.

ΔΗ.

Particula δή, de qua in primis Baeumlein p. 98 sqq., Kuehner § 500 p. 677 sqq., Heller Philol. VIII 277 sqq. disputaverunt, non omnibus temporibus eodem modo usurpata est. iam si quaeremus, quid in eius usu immutatum sit, id nobis agendum erit, ut eos locos, ubi iuxta singulas voces posita vim adverbialem habet, ab eis segregemus, quibus coniunctionis vice fungitur.

I.

Genuina huius particulae significatio, qua rem quandam iam quasi elucere indicatur, ibi adparet, ubi aut unum verbum exaggerandi aut vim totius enuntiati augendi consilium est. itaque δή saepe cum γὲ coniunctum variis postponitur verbis et proprium subinde colorem sententiae adspergit, qui qualis loco quoque sit, facili negotio perspicitur.

Ex Herodoto, qui in hac re maximam sibi libertatem concessit, pauca exempla adferam. δή post verbum finitum positum est I 86, 108, V 80, VIIII 60, post pronomen personale in oratione ineunte I 115, VIIII 48, iuxta substantivum I 1 ἐς δὴ τὸ Ἄργος, 4, post adverbium I 111, IIII 113, V 92η.

Attici vero antiquiores huic consuetudini modum quendam statuerunt rariusque iam concesserunt, ut δή post quodlibet verbum collocaretur, cf. Ant. III β 1 νῦν δή, de Ath. rep. I 18 ὅς ἔστι (sic) δὴ νόμος. Thucydides, in cuius libris posterioribus plura et singularia huius usus exempla inveniuntur, quod non casu factum esse existimo, hoc modo δή post verbum finitum posuit I 39, 1, II 64, 5, VI 61, 2, VIII 87, 1, post infinitivum VIII 9, 1; 48, 5, post participium IIII 59, 3, post pronomen personale I 74, 1, iuxta nomen III 10, 6 αὐτόνομοι δὴ ὄντες, VI 10, 5 Ἐγεσταίοις δὴ οὖσι ξυμμάχοις, 80, 2 φίλους δὴ ὄντας, VII 81, 2 ὑστέροις δὴ οὖσι; IIII 67, 3 ἀφανὴς δὴ εἴη; deinde I 24, 2 κατὰ δὴ τὸν παλαιὸν νόμον, III 66, 2 κατὰ νόμον γὰρ δή τινα, 104, 1 κατὰ χρησμὸν δή τινα, IIII 46, 4 κατ' εὔνοιαν δή, VII 77, 3 κατ' ἀξίαν δή; IIII 78, 2 μετὰ ὅπλων γε δή, V 105, 3 διὰ τὸ αἰσχρὸν δή, VII 56, 4 πλήν γε δὴ τοῦ ξύμπαντος ὄχλου; itemque VII 13, 2 ναυτικόν τε δὴ καὶ τἆλλα, 86, 4 χρήμασι δή, 87, 6 πανωλεθρίᾳ δή, post adverbium temporale VI 24, 2 νῦν δὴ καί, I 13, 5 et VIII 73, 5 ἀεὶ δή ποτε.

Posteriores rursus erant neglegentiores ac praecipue apodosis principio δή intexebant, a quocumque vocabulo ea incipiebat, veluti Lys. XXIII 6, Xen. Ages. II 14, cf. Her. I 108 et v. Kuehner p. 682.

1.

Sed magis magisque antiqui scriptores consueverunt δή post certa verborum genera collocare, etiamsi nonnumquam non ad id ipsum vocabulum, cui postponebatur, sed aut ad enuntiatum universum aut ad vocem aliquam vicinam referendum erat.

Etenim saepe δή legimus post adiectiva et adverbia numeralia, cf. Her. III 157, VIIII 99. ex Thucydide haec proferri possunt exempla: I 33, 2 ὀλίγοις δή, VII 55, 1 ἐν παντὶ δή, VIII 96, 5 πάντων δὴ ξυμφορώτατοι; VI 80, 1 μηδετέροις δή, VII 71, 7 οὐδεμιᾶς δή; II 64, 1 μόνον δή, V 26, 3 μόνον δή, VII 44, 1 μόνη δή; V 16, 1 πολλῷ δὴ μᾶλλον, idemque 50, 4; 63, 2, VI 56, 2, VII 55, 2, VIII 83, 1; 89, 1, et VI 61, 1 πολὺ δὴ μᾶλλον; II 17, 3 et III 51, 3 ὕστερον δή, II 62, 1 πολλάκις γε δή. his locis adiciendi sunt Ant. V 15 μόνος δή, 82 πολλοὶ δή, And. II 8 πολλοστὸν δή τι.

2.

Superlativum quoque δή frequenter sequitur: Her. VI 21 μάλιστα δή, 127 πλεῖστον δή, μέγιστα δή. plures eius modi loci exstant in Thucydidis libris, qui superlativum certorum potissimum adiectivorum cum δή consociavit: μέγιστος I 1, 2; 50, 2, II 31, 2; 64, 3, III 113, 6, V 74, 1, VI 13, 1; 17, 5; 92, 5; VIII 1, 2; 41, 2; 96, 1; πλεῖστος I 122, 4, II 64, 3; 97, 3, III [17, 1], IIII 74, 4, V 74, 1; 113, VI 54, 5, VII 56, 4; μάλιστα II 49, 1, III 39, 1, IIII 55, 2; 108, 3, V 28, 2, [66, 2]; 72, 2; ἥκιστα VII 86, 5, VIII 97, 2. praeter quos hi tantum superlativi a Thucydide cum δή coniuncti sunt, quorum plurimi in

extremos libros cadunt: I 138, 3 βεβαιότατα δή, III 98, 4 βέλτιστοι δή, VI 31, 1 πολυτελεστάτη δὴ καὶ εὐπρεπεστάτη, 33, 4 κάλλιστον δή, VII 19, 1 πρῴτατα δή, VIII 76, 4 ἐλάχιστον δή, 106, 1 ἐπικαιροτάτην δή.

3.

Omnes autem scriptores pariter δή ponere solebant post pronomina et adverbia demonstrativa, cf. Her. I 102; 163 (ubi pronomen indefinitum sequitur, id quod saepius fit apud Herodotum, cf. Stein ad h. l.), 192; Thuc. I 11, 3, III [17, 4], IIII 58; 92, 4, VI 54, 4; 92, 5; IIII 22, 2, VIII 1, 2; Ant. VI 34.[1]) creberrime vero voces demonstrativae cum δή coniungebantur, ut principem apodosis locum obtinentes protasim, quam vocant, complecterentur, velut Her. VII 10β τοῦτο δή; III 128, 134, VI 111 ἐνθαῦτα δή; I 64, 94, III 16, 108, VII 158 οὕτω δή. cum igitur Herodotus eo consilio inprimis ἐνθαῦτα δή et οὕτω δή usus esset, Thucydides, in cuius libris ἐνταῦθα δή ter ita positum repperimus (I 91, 4, II 58, 2, VIII 53, 3 et ἐντεῦθεν δή II 74, 2), non modo οὕτω δή scripsit sed etiam τότε δή denis locis (οὕτω δή: I 131, 1, II 12, 4; 19, 1; 70, 1; 83, 3, III 98, 1, IIII 73, 4; 75, 1, VIII 71, 2; 99; τότε δή: I 49, 7; 58, 1, II 84, 3, IIII 78, 1; 127, 2, V ⟨16, 1⟩, 17, 2; 58, 1, VII 18, 3, VIII 92, 2). apud ceteros autem eius aetatis scriptores iam nihil huiusce modi animadverti nisi τότε δή: Ant. VI 38, And. I 65, 122 (omnibus his locis post ἐπειδή), Lys. XXXIIII 1.

4.

Iam agamus de particula δή post pronomina interrogativa et relativa posita. apud Herodotum, qui I 30 κοίῃ δή, VIIII 48 τί δή, quo loco utroque quidam loqui incipit vel se incipere simulat, scripsit, hoc modo, ut Hoffmann § 4 vult, admiratio et indignatio interrogantis significatur. deinde adferendus est locus Ant. V 57, ubi orator testibus interrogatis iam novum argumentum profert. nusquam autem praeterea Attici antiquiores δή post pronomen interrogativum posuerunt. contra magis id frequentabant Demosthenes, cf. XV 26, eiusque aequales, deinde maxime Xenophon (Oec. VII 16, 17, Cyr. I 6, 22, III 1, 38, Comm. IIII 2, 21) et Plato, qui saepe hoc modo transitum rhetoricum effecit, veluti Euthyphr. 10e πῶς δή; de rep. V 454a τί δή; I 333a τί δὲ δή; cf. Birkler, die oratorischen Transitions- und Argumentationsphrasen p. 42.

---

[1]) Sed V 38 et VI 41 ego huc non rettulerim, quia illo loco pariter ac V 90 ἄν, quod desideratur, facillime restitui potest ex δή, quod traditum est, quas particulas saepe inter se confusas esse a librariis Cobet nov. lect. p. 549 docuit; hoc loco δέ iniuria a Baitero et Schaefero p. 41 in δή mutatum est, verba enim καὶ πρῶτον, ἃ τοῦ βασιλέως κατηγοροῦσι καὶ διὰ τὴν ἐμὴν σπουδὴν οὔ φασιν ἐθέλειν αὐτὸν ἀπογράφεσθαι τὴν δίκην cum eis, quae antecedunt, coniungenda et a τοῦτο δέ novum enuntiatum incipiendum esse pro certo habeo.

Aliter res se habet in enuntiatis relativis aliisque eius modi enuntiatis secundariis, quibus δή post primam voculam positum semper in usu fuit. quapropter ego ea tantum exempla, quae in libris Atticorum antiquissimorum leguntur, adferam: Thuc. I 128, 1 et II 21, 1 et 42, 1 δι' ὃ δὴ καί, V 10, 8, VI 18, 2; 63, 2, VII 62, 3 post pronomina; II 24, 1; 29, 4, V 90, VIII 84, 3 post adverbia; πρὶν δή, quod ubicumque in libris illorum temporum legi, cum indicativo coniunctum vidi (cf. Sturm, geschichtliche Entwicklung der Constructionen mit πρίν pp. 50, 82, 85, 90), Thuc. I 118, 2; 132, 5, III 29, 1; 104, 6, VII 39, 2; 71, 5; ὅτε δή [1]) II 102, 4, III 54, 5; ὅτι δή IIII 23, 1, VIII 48, 5; ὅπως δή V 85, VII 18, 1; ἵνα δή VII 26, 2; de Ath. rep. III 9 ὅπως δή; And. II 9 ὅτε δή, 16 οὗ δὴ καὶ μάλιστα, [IIII] 14 οὗ δὴ μάλιστα.

Atque uno verbo dicendum est δή paucis locis adiectum esse pronominibus relativis, ut aeque ac particula οὖν vim generalem eis tribueret, veluti Her. I 160 ὁσῳδή, III 121 ὁτευδή aliisque locis; Thuc. VIII 87, 6 ᾗτινιδὴ γνώμῃ. qui locus cum illa aetate sit unicus apud Atticos, temporibus inferioribus tales saepius nobis occurrunt, cf. Dem. VIII 1 ᾗτινιδήποτ' αἰτίᾳ, XVIII 261 ὁπωσδήποτε.

5.

Nec raro δή ad imperativum confirmandum adponitur, cf. Thuc. VII 77, 2 ἀλλ' ὁρᾶτε δή. sed longe plurimi loci, qui hic adferendi sunt, praebent formas φέρε δή, ἄγε δή, ἴθι δή, similes. ac Xenophontis et Platonis temporibus ἄγε δή et ἴθι δή satis saepe reperiuntur, cf. Xen. Oec. XVIII 10, XVIIII 3, Plat. Gorg. 500 e, apud Herodotum autem et Atticos antiquiores nusquam leguntur. quid? quod ne φέρε δή quidem Herodotus Thucydidesve ullo loco scripserunt, quamquam solum φέρε exstat Her. I 11, II 14 aliisque locis. ii autem loci, quibus primis φέρε δή legitur, hi sunt: Gorg. Hel. 9, Ant. V 36, de Ath. rep. III 5, 7. his locis ut eos adnumerem, quibus alia coniunctio addita non est, ita quidem, ut δή pro coniunctione habendum esse negem, eo commoveor, quod omnibus his locis ad novum quid transitur; unde patet coniunctionem non necessario desiderari atque laxam illam enuntiatorum compagem tolerari posse. quae cum ita sint, praestat omnes eius generis locos eodem modo explicare. longe frequentius autem quam hi, quos modo nominavimus, Andocides hac verborum conformatione φέρε δή usus est in oratione prima; orationes II. et III. nullum eius exemplum continent; nam ad eos locos, quos p. 191 commemoravimus, I 21, 90, 117, 128, quibus φέρε δὴ τοίνυν legitur, accedunt I 27 post moram in dicendo, 47 post testes productos, 57. in idem tempus incidunt Lys. [VI] 46, XII 62.

---

[1]) ἐπειδή, quamquam eodem modo ortum est quo ὅτε δή, iam quasi una vox accipiebatur, id quod eo ipso elucet, quod apud Thucydidem ὅτε 67 (+ ὅταν 30), ὅτε δή duobus tantum locis, contra ἐπεί 45, ἐπειδή 234 (+ ἐπειδάν 7) locis legitur.

6.

Maioris vero ponderis nobis esse videntur ii loci, quibus δή cum particulis paratacticis, quae vocantur, copulatum est. in quibus principem locum obtinet particula καί. nam hac vocula cum δή coniuncta quattuor formulae, ut ita dicam, oriuntur: καὶ δή, καὶ δὴ καί, καὶ μὲν δή, καὶ μὲν δὴ καί, quas deinceps tractabimus. atque ut ab ea, quam primo loco posuimus, καὶ δή, exordiamur, varia vis in hoc καί inesse potest, cum aut enuntiata aut verba singula coniungat aut Latino *etiam* respondeat. varii huius usus exempla multis locis Herodoti inveniuntur, velut I 174, VIIII 31, 67; VII 196; VIIII 48, 66. sed ii Attici antiquissimi, qui sermoni artificioso studebant, καὶ δή omnino vitabant; nam ut in Gorgiae Helena ita in Antiphontis orationibus ne uno quidem loco id legitur. Thucydidis libri unum tantum exemplum praebent, II 41, 4, ubi, quamquam καί et δή cohaerent, tamen οὐ intercedit. eo magis nos, si modo Palamedem genuinum esse Gorgiae librum statuendum est, miros habet id, quod hic § 7 [et 11] καὶ δὴ τοίνυν legimus. qui vero ad sermonem popularem reverterunt, non tanta constantia καὶ δή repudiaverunt, qua de re conferas de Ath. rep. II 11, And. I 41. nec scriptores aetate inferiores his particulis coniunctis uti dubitaverunt, cf. Lys. XIII 4, XVIIII 51, Dem. II 13, Xen. An. V 7, 9.

Maiorem autem inesse gravitatem in καὶ δὴ καί patet, quo unus omnium creberrime Herodotus usus est. is his particulis adnectere solet membro membrum, quod maioris illo ponderis est, sive sententia, quae adnectitur, eiusdem generis est atque antecedentia, in quibus plerumque pronomen ἄλλος et particula τὲ legitur (I 29, III 152, VI 21, 86α, 137, VII 23, 153; IIII 150, I 214m.), sive aliud quid illa in orationem inducitur (I 8, 30, 75, 214, II 115, VII 1, VIII 132). praeterea καὶ δὴ καί deprehendimus in καὶ γὰρ δὴ καί, de qua locutione Herodotea p. 167 dictum est, cf. Broschmann cap. III § 2 C a β. adde quod Hippocrates quoque etsi non tam frequenter καὶ δὴ καί usus est, cf. Kuehlewein p. 76. primus autem post Herodotum et Hippocratem καὶ δὴ καί exhibet Lys. XIII 40, ad quem locum vim particularum Frohberger recte explicat his verbis: *Fortschritt vom Allgemeinen zum Speciellen.* ac ne eis quidem temporibus, quae secuta sunt, scriptores his particulis favisse videntur. nam, ut alia omittam, toto Xenophonte quattuor tantum exstant exempla, cf. Roquette p. 39: Cyr. I 6, 21 ἐν ἄλλοις τε πολλοῖς καὶ δὴ καὶ ἐν τοῖς κάμνουσιν, Hell. V 4, 4 τά τε ἄλλα ἐπεμελεῖτο ... καὶ δὴ καὶ γυναῖκας ... ἔφη ἄξειν, Cyr. IIII 2, 1, Hell. VI 4, 13.

Venimus iam ad particulas καὶ μὲν δή, quibus semper rem parvam et exilem a Lysia induci Schepe p. 15 exposuit.[1]) harum particularum con-

---

[1]) Cf. quae Gebauer in ed. Lysiae p. 229 dicit: *Was Birkler* (Ehingen 1867) *p. 15 bemerkt, dass die kürzere Figur* καὶ μὲν δή *innerhalb eines Theiles dazu diene, eine letzte Erweiterung*

iunctionem Herodotus nondum cognitam habebat atque Attici etiam antiquiores admodum raro ea usi sunt. loci enim, quibus ea legitur, hi sunt: Ant. V 51, Thuc. III 113, 4 (quo loco ad eam coniunctionem significatione adversativa adhibitam γὲ accedit, quod postea saepe fit), And. I 20 (ubi item vis adversativa adparet, quae γὲ adposito augetur). maxime autem adamavit eam coniunctionem Lysias, qui XVIII locis ea usus est: IIII 13, [VI] 15, VII 36, X 5, 29, XII 30, 35, 49, 89, XIIII 12, 32, 34, 43, XV 9, XXI 23, XXII 19, XXV 17, XXVI 11; quibus locis decies continuo post καὶ μὲν δή vocativus legitur, semel tantum (XXVI 11) γὲ sequitur. cum igitur καὶ μὲν δή apud Lysiam frequentissimum sit, ex contrario apud Isocratem non reperitur nisi uno loco (III 16), apud Xenophontem teste Roquettio tribus tantum (Cyr. I 6, 3, V 5, 44, VI 2, 23), nisi eos addere velis, quibus μὲν δή verbo interposito a καί seiungitur, veluti Hiero II 12 et 18. neque multo pluribus locis καὶ μὲν δή invenias apud Platonem, cf. Conv. 197 a καὶ μὲν δὴ τήν γε τῶν ζῴων ποίησιν, Hipp. I 290 a καὶ μὲν δὴ ταύτην γε τὴν ἀπόκρισιν.

Amplificatur nonnumquam illa coniunctio eo, quod alterum καί sive οὐδέ additur. atque καὶ μὲν δὴ καί, quod in Herodoti Thucydidisque libris frustra quaeras, iam legitur Ant. V 63 [1]) et And. I 140. Lysias vero, apud quem καὶ μὲν δή totiens exstare vidimus, his tantum locis καὶ μὲν δὴ καί adhibuit: XVIII 9 καὶ μὲν δὴ ὦ ἄ. δικασταὶ καί et XXVIII 17 καὶ μὲν δὴ ὦ ἄ. Ἀ. καί, καὶ μὲν δὴ οὐδέ XXII 21 et in fr. 23. sed omnium maxime Isocrates his particulis favit, quem semper fere post καὶ μὲν δή posuisse alterum καί Ljungdahl p. 42 docet, quod, ut huius verbis utar, *unam aliquam notionem efferret et in simili genere cum prioribus versari significaret*, cf. III 36, IIII 40, VII 66, VIII 24, XI 21, 36, 49, XV 191, XVII 29, XXI 20. ceterum, quod idem Ljungdahl animadvertit, neque οὐδέ umquam adhibuit Isocrates neque γὲ adiecit. quod autem III 16 solum καὶ μὲν δή scripsit, ea de causa opinor fecit, quod paulo post aliud καί sequitur. ex ceteris oratoribus Isaeus memorabilem locum exhibet X 12, ubi γὲ particulis καὶ μὲν δὴ οὐδέ adponitur. nullo vero loco oratorum Atticorum, id quod Gebauer in ed. Lys. p. 229 observavit, legimus καὶ μὲν δὴ καὶ . . . γέ, quae particulae coniunctae sunt Plat. Gorg. 507 b, de rep. V 464 b. Xenophon denique duobus tantummodo locis καὶ μὲν δὴ καί scripsit eisque sede inter se vicinis: Cyr. VIII 4, 8 et 17.

His particulis subiciendae videntur ἀλλὰ δή et ἀλλὰ μὲν δή. quae particulae quamquam ab Herodoto atque etiam, si Thuc. VI 38, 5 (ἀλλὰ δή)

---

des Gedankens sogar bis zur Bedeutung eines blossen Anhängsels anzubringen, kann im allgemeinen als richtig gelten.

[1]) Ubi nequaquam καί ante τῆς χρείας positum referendum est ad tertium καί ante τῆς Λυκίνου, quia verba τῆς χρείας τῆς ἐμῆς καὶ τῆς Λυκίνου unam eandemque efficiunt notionem (familiaritatem significant, quae inter ipsum et Lycinum intercedebat), quae nullo pacto in duas partes divellenda est.

excipias, ab Atticis, qui ante Lysiam scripserunt, non adhibentur, mirum est tamen ter in Gorgiae Palamede (7, 8, 18) ἀλλὰ δή legi. e Lysiae autem orationibus huc pertinent hi loci: [VI] 39 ἀλλ' οὐ μὲν δὴ ἕνεκά γε τούτου, XIII 27 ἀλλὰ μὲν δὴ οὐχ ὅμοιά γε, XIIII 44 et XXVI 22 ἀλλὰ μὲν δὴ οὐδέ. sed numquam apud eum ἀλλὰ δή reperitur. contra satis saepe et ἀλλὰ δή et ἀλλὰ μὲν δή inveniuntur apud Platonem et Xenophontem, cf. Plat. Euthyphr. 10d ἀλλὰ μὲν δὴ διότι γε, Crito 54a ἀλλὰ δή, Xen. An. VI 3, 16 ἀλλὰ δή.

Quoniam de particulis copulativis et adversativis cum δή coniunctis sermo est, ilico de τὲ δή et δὲ δή disseramus. sed quia τὲ et δέ et ceterae particulae, de quibus postea dicemus, alteram semper vocem secuntur, particula δή autem demum post illas collocatur, fieri potest, ut scriptor interdum δή non cum particula antecedenti, sed cum vocabulo, quod illi praegreditur, mente coniungi voluerit, quos locos a ceteris bene distinguere magni momenti est ad quaestionem, quam instituimus. quapropter locos, qui huc pertinent, accuratius examinemus necesse est.

Atque ut a τὲ δή incipiamus, ubicumque id apud Herodotum ita, ut δή non coniunctionis vice fungatur vel fungi videatur, invenimus, particulam δή ita positam esse videmus, ut, etiamsi τὲ abesset, ipsa eodem loco manere posset, cf. I 86, II 141, III 108 αὐξόμενός τε δή, V 92η, VI 50. neque igitur est, quod dicamus Herodotum particulis τὲ δή quasi una coniunctione usum esse. idemque valet de Thucydide, qui ter tantummodo δή post τὲ collocavit: IIII 40, 1 παρὰ γνώμην τε δή,[1]) 63, 2 τὸ ξύμπαν τε δή, VII 13, 2 παρὰ γνώμην ναυτικόν τε δὴ καὶ τἆλλα . . . ὁρῶσιν. his locis particulae τὲ praecedunt vocabula, quorum similia alias quoque cum δή coniungi vidimus. nec vero umquam ceteri Attici antiquiores δή iuxta τὲ posuerunt.

Si autem particularum δὲ δή usum per libros Herodoteos persequimur, inveniuntur quidem loci, quibus δή ad vocabulum ante δέ positum referendum esse videatur, veluti I 84, II 115. multo plures tamen loci ita sunt comparati, ut dubium non sit, quin particulae δέ et δή arte inter se conexae sint et utraque ad totam sententiam pertineat. id quod maxime valet de locutione ἐν δὲ δὴ καί, cui adiectivum ἄλλος antecedere solet, cf. I 184, 185, 192, VI 50, et de eis locis, quibus membrum, quod a μὲν δή incipit, praegreditur, cf. I 95, III 108. sed aliis etiam locis δή additum videtur ad augendam vim particulae δέ simulque totius sententiae, veluti VII 9γ, 10η. Thucydides autem bis tantummodo δὲ δή adhibuit: III 40, 4 εἰ δὲ δὴ καὶ οὐ προσῆκον ὅμως ἀξιοῦτε, VI 37,

---

[1]) Ad quem locum Classen haec adnotavit: δή *führt die natürliche Folge des unerhörten Vorganges ein; darum kann aber* τὲ *diesen Satz nicht mit dem vorigen verbinden, sondern steht mit dem zweiten* τὲ *— in Verbindung.* qua in re ille falsus est. cum enim res ipsa modo narrata sit, non consequentia, sed simplex iudicium vocanda est sententia: *es kam den Hellenen wider Erwarten.* immo enuntiata vocula τὲ coniunguntur, particula δή autem significatur consentaneum esse id praeter exspectationem Graecis evenisse.

1 εἰ δὲ δή, ὥσπερ λέγονται, ἔλθοιεν. qui loci similitudinem quandam habent inter se et cum Gorg. Pal. 10 λαβὼν δὲ δὴ πῶς ἂν ἔκρυψα; hi sunt igitur omnes, quibus δὲ δή apud Atticos antiquiores legitur. patet autem et his locis et eis, qui in scriptis Atticorum posterioris aetatis insunt, cf. Dem. I 27, Aesch. II 112, Xen. An. III 1, 38, Cyr. I 3, 4, δέ et δή coniungenda esse. dubito tamen, an transeundi formula τί δὲ δή; in dialogis Platonis usitata ita intellegenda sit, ut δή ad pronomen interrogativum referatur. quodsi iam ea, quae disputavimus, complectimur, δέ et δή plerisque locis artissime inter se coniuncta esse intellegitur.

Simile quid de γὰρ δή dicendum est. nam etsi hic illic δή ad vocabulum, quod particulae γάρ antecedit, referendum esse videtur, plerumque tamen γὰρ δή quasi unius coniunctionis loco habendum est magna cum gravitate pronuntiatae, cf. Baeumlein p. 100. in primis autem Herodotus particulis γὰρ δή ita usus est,[1]) velut οὐ γὰρ δή I 74, 75, 97, 197, II 13, VII 237. neque vero desunt loci, ubi Herodotum δή non cum γάρ, sed cum verbo praegresso coniungi voluisse manifestum sit. id quod etiam Broschmann concessit de ἐπεὶ γὰρ δή, cum p. 78 diceret nihil omnino interesse inter eos locos, quibus legimus ἐπεὶ γὰρ δή (VIII 37), et illos, quibus particulae ἐπεί et δή in unam vocem ἐπειδή conflatae sunt. praeterea hic adferri possunt I 32 f., II 14, 107, III 118.

Sed iam ad Thucydidem nos vertamus. quodsi eos locos excludimus, quibus vox antecedit, cui alias quoque a Thucydide δή adponi vidimus (III 66, 2 κατὰ νόμον γὰρ δή τινα; II 67, 4 πάντας γὰρ δή, 77, 2 πᾶσαν γὰρ δὴ ἰδέαν, VI 33, 4 ὀλίγοι γὰρ δή, VII 70, 7 πολλὴ γὰρ δή, 71, 2 πάντων γὰρ δή; VII 70, 4 πλεῖσται γὰρ δή, 75, 7 μέγιστον γὰρ δή, 85, 4 πλεῖστος γὰρ δή; I 8, 1 οὗτοι γὰρ δή, III 57, 3 ἐς τοῦτο γὰρ δή, VI 103, 3 οὗτος γὰρ δή, VII 62, 4 ἐς τοῦτο γὰρ δή), tredecim loci restant, quorum septem a particula οὐ incipiunt: I 122, 4, IIII 87, 4, V 111, 3, VI 33, 4; 69, 1; 76, 2; 77, 1; I 81, 6 μὴ γὰρ δή, 93, 4 τῆς γὰρ δὴ θαλάσσης, II 40, 3 διαφερόντως γὰρ δή, IIII 46, 4 μέλλειν γὰρ δή, 117, 2 τοὺς γὰρ δὴ ἄνδρας, V 60, 3 στρατόπεδον γὰρ δὴ τοῦτο. ergo Thucydidi coniunctio γὰρ δή non tam accepta quam Herodoto erat.

Neque ceteri scriptores Attici superioris aetatis saepe γὰρ δή usurpaverunt; nullum enim apud eos, qui huc pertineat, locum reperimus praeter Ant. II δ 2, V 36, VI 10 et And. II 15. neque hi loci omnes eiusdem generis sunt. nam Ant. II δ 2 δή ad καινότατα, V 36 ad φέρε referendum esse, non ad γάρ patet. iam duo loci supersunt, quibus γάρ et δή artius inter se cohaerere intellegitur: Ant. VI 10 et And. II 15. quorum in priore iniuria Schaefer p. 42 δή in δή που mutari iussit. quo enim ille maxime offensus est, quod hoc loco

---

[1]) Cf. Hoffmann § 4 et vide, quae Broschmann p. 76 dicit: *quamquam notum est voculam δή persaepe ita adhiberi, ut trahenda sit ad singulas voces . . ., tamen ubi cum particula γάρ coniuncta legitur, cum hac ipsa ad omnem semper enuntiationem pertinere mihi quidem videtur.*

δή in enuntiato negativo legitur, cum Antiphon in enuntiatis negativis semper δή που pro δή posuerit, id nihili est, quia ex locis illis Thucydideis discimus γὰρ δή in enuntiato negativo nequaquam inauditum esse.

Apud scriptores autem posteriores saepius γὰρ δή invenimus cum apud oratores, e quibus Gebauer, de argumenti ex contrario formis p. XVII sq. sat multos eius generis locos contulit, tum apud Xenophontem Platonemque, ex cuius uno libro, Apologiam dico, Baeumlein p. 100 septem locos congessit.

Etiam post ὦν legimus δή apud Herodotum, quem omnes particulas eximie frequentasse et cumulasse identidem vidimus, cf. I 115, III 121, IIII 203; particulas autem ὦν δή semper una comprehendendas esse inde sequitur, quod scriptor, si id noluit, δή anteposito dixit δὴ ὦν, veluti I 80, 180. primum autem eius coniunctionis post Herodotum exemplum repperi Lys. XXVIIII 4. crebrius οὖν δή adhibitum est a Platone, veluti Gorg. 480a, Theaet. 146a.

Denique ii loci commemorandi sunt, ubi voculae δή particula adseverativa ἦ antecedit. legitur autem ἦ δή apud Herodotum II 14, V 92α, VI 50; ἦ που δή, quod Latino *nedum* respondet, apud Thucydidem I 142, 3, VI 37, 2, ⟨VIII 27, 3⟩.

II.

Quanto opere usus particulae δή temporum decursu commutatus sit, maxime intellegitur eis locis consideratis, quibus δή ad c o n i u n g e n d a e n u n t i a t a aut adhibetur aut adhiberi videtur. huius quoque quaestionis fundamentum ita iaciamus, ut ab Herodoti consuetudine proficiscamur; quamquam in ea re aliorum ope destituti sumus, quia nemodum in illam accurate inquisivit, quantumvis id operae pretium esse pateat. nam Hoffmanni opusculo satis exili nihil, quod ad eam rem illustrandam spectet, continetur. proinde ipsi, quantum in nobis virium est, hanc rem adumbrare conabimur.

Ac primum quidem ea enuntiata respiciamus, quorum initio pronomen vel adverbium demonstrativum legitur. saepe enim eius modi locis iuxta vocem demonstrativam δή ponitur, id quod etiam in mediis enuntiatis fieri supra vidimus: sic legitur post pron. dem. I 23, II 141, III 102 bis; adde I 114 εἷς δὴ τούτων τῶν παίδων, V 3 εἰσὶ δὴ κατὰ τοῦτο ἀσθενέες, 97 νομίζουσι δὴ ταῦτα; οὕτω δή I 3, 83, III 128, VIIII 66, 117; ἔνθα δή I 26, 43, 59; ἐνθαῦτα δή VI 77, 80. sicut autem libri Herodotei permultos eius modi locos exhibent, ita non minorem continent numerum eorum, quibus enuntiata a voculis demonstrativis incipientia sine coniunctione adnectuntur eis, quae antecedunt. veluti in primo enuntiato posita sunt pron. dem. I 4, II 46, III 156, VI 108m., VIII 5m.; I 141, III 137m., IIII 150 f.; οὕτω II 2, III 31, V 76, VII 137, VIII 132; ἐνθαῦτα VI 126, VIII 84; τότε VII 10γ, 144. ergo existimare licet Herodotum δή non ad enuntiata coniungenda interposuisse, sed ut demonstrativa significatio

certius definiretur. neque potest negari profecto aliquid interesse inter οὕτω et οὕτω δή, cf. Gomperz, Herodoteische Studien p. 559.

Simili ratione, si eos locos circumspicimus, qui particulis μὲν... δέ bipartito et antecedentia concludunt et ad novam rem nos traducunt, enuntiatis, quibus δή insertum est, opponi possunt enuntiata particulis non coniuncta cum antecedentibus. talia asyndeta, in quibus semper fere voces demonstrativae leguntur, exstant I 2, 5, 100, II 2, III 33, IIII 67, VI 127, 128, VII 153; I 22, II 116, III 128, VII 11, 23, 158, VIII 84, VIIII 29. quibus cum locis tales componendi sunt, quales sunt I 181 (τοῦτο μὲν δὴ τὸ τεῖχος θώρηξ ἐστί), 185, VI 48, 127, VIII 7, quibus omnibus locis primum verbum est pronomen demonstrativum, quod aliis locis paulo post initium legitur, velut I 9, 32, 102, 164, II 139, III 31, 134, VI 69, 107, VII 10η. aliis rursus locis vox illa demonstrativa non conspicitur, veluti I 21, III 119, VI 5, 108 f. nonnusquam autem sententia, qua antecedentia comprehenduntur et concluduntur, enuntiato secundario vel participio continetur, cf. I 10 (ὁ μὲν δὴ ὡς οὐκ ἠδύνατο διαφυγεῖν, ἦν ἑτοῖμος), VI 86γ, VIII 8; II 2, VI 108.

His locis proxime accedunt eae periodi, quarum priore membro, cui μέν insertum est, ex eis, quae supra dicta sunt, sententia repetitur vel vocabulum, a quo transitus fiat ad membrum alterum: I 11, 26, 95, VII 145, 196; VI 86δ, VIII 85. sed loci quidam iique pauci, qui ipsi quoque duo membra amplectuntur particulis μὲν... δέ instructa, aliter comparati sunt, cum aut ea, quae antecessit, sententia fusius explicetur, cf. IIII 11, VI 127 (v. asyndeta I 184, III 107) aut, quid ex antecedentibus per se pateat, significetur, cf. VII 59, VIII 84, aut novum quid addatur cum eis, quae praegrediuntur, consentaneum, cf. I 132, II 111, 138, V 36 in.

His eae quoque periodi adnumerandae sunt, quae in binas partes particulis τὲ... καί copulatas dividuntur ita, ut in initio earum post τὲ particula δή legatur. plerisque eius modi locis ea, quae antecesserunt, priore membro concluduntur, sive, quae iam dicta sunt, hoc membro iterum explicantur, cf. II 124, V 86, 108, VI 49 m., VII 144, sive hoc ea, quae continuo ex illis consecuntur, continentur, cf. I 214 ἥ τε δὴ πολλὴ τῆς Περσικῆς στρατιῆς αὐτοῦ ταύτῃ διεφθάρη καὶ δὴ καὶ αὐτὸς Κῦρος τελευτᾷ, III 76, 108 f., V 51, 89, VI 49 in., VII 23, 217. neque desunt loci, quibus ad antecedentia revocemur, veluti II 46, IIII 53, VII 223. verum alii loci simillime constituti ita explicandi esse videntur, ut τὲ enuntiatum cum antecedenti coniungat, δή ad unum verbum referendum sit, cf. I 13, 214 χρόνον τε δὴ ἐπὶ πολλὸν συνεστάναι μαχομένους καὶ οὐδετέρους ἐθέλειν φεύγειν, VIIII 26; eodem loco in simili structura δή abest: ἔδοξέ τε τοῖσι Πελοποννησίοισι ταῦτα εἶναι ποιητέα καὶ ἔταμον ὅρκια.

Denique praeter eos locos, quibus δή iuxta pronomen demonstrativum vel particulam μέν (τὲ) positum coniunctionis munere fungi videtur, raro legitur in initio enuntiatorum, in quibus alia coniunctio posita non est, veluti

I 11, 147, III 156, VI 86α. his quoque locis δή non ad enuntiata conectenda, sed ad vim verbi primi augendam adhiberi itaque hoc enuntiatum non arte cum eis, quae antecedunt, coniunctum esse iure statuere possis, quia Herodotus gravissimo enuntiati verbo praemisso non prorsus ab asyndeto abhorruit, cf. VI 21, VII 10ε, 238 et ea, quae Stein adnotavit ad I 20.

Quodsi hunc usum Herodoteum brevibus complectimur, particula δή, ubi in initio enuntiatorum alia coniunctione non adiecta legitur, plerumque adverbialem vim retinere videtur, quia his locis aut vox aliqua demonstrativa aut particula μέν in priore membro posita aut denique gravissimum enuntiati verbum primo loco collocatum quodam modo supplent particulam coniunctivam omissam, tametsi nonnusquam usus huius particulae propius ad similitudinem ceterarum coniunctionum conclusivarum accedit.

Intra eosdem fines Thucydides se continuit. etenim apud eum post voces demonstrativas, quibus praemissis etiam asyndeton admisit, cf. I 54, 1, IIII 39, 2 et Gebauer in ed. Lys. p. 250, particulam δή invenimus hisce locis: I 127, 1, V 43, 1 κατὰ τοιαύτην δὴ διαφοράν, VIII 85, 1 κατὰ δὴ τοιαύτην διαφοράν, 95, 5 διὰ τοιαύτης δὴ παρασκευῆς; V 64, 2 et VIII 56, 5 et 67, 3 ἐνταῦθα δή; VIII 39, 4 ἐντεῦθεν δή; II 6, 3 οὕτω δή, idemque IIII 30, 3, ubi facilius est καί expungere quam in ἐπεί mutare. huic exemplorum generi adsignandus mihi esse videtur locus multum vexatus I 141, 1 αὐτόθεν δὴ διανοήθητε, cuius primo verbo significari nostrum *auf der Stelle* magis magisque consentiunt viri docti. sed demonstrativam vim in ea voce inesse etiam Bonitz concessit, cum haec diceret in libello, qui inscribitur Beiträge zur Erklärung des Thucydides, p. 33: *Dass es dabei zunächst heissen mag 'unmittelbar von dieser Lage, von diesen Umständen aus', braucht nicht geleugnet zu werden.*

Deinde Thucydides sicut Herodotus, sed multo rarius δή eis enuntiatis inserit, quorum uno membro, in quo μέν ponit, partem narrationis absolvit, altero membro narrare pergit. cuius generis asyndeta leguntur I 36, 4; 54, 2, II 5, 6, III 28, 2. particulam δή autem exhibent hi loci: I 53, 3, II 4, 7, III 24, 3, IIII 119, 3, V 113, quibus locis omnibus pronomen demonstrativum legitur; deest illud I 45, 4 et IIII 39, 3.

Sed iam de duobus locis mihi dicendum est plane singularibus, quorum altero, I 142, 7, interrogatio legitur, quae particula δή sententiae ante interclusionem οὐδὲ γὰρ ὑμεῖς — ἐξείργασθέ πω collocatae adnectitur; alteri, II 89, 4, consecutivum sententiarum contextum subesse concedendum est, quamquam etiam hoc loco particula δή prope imperativum posita vim suam propriam, confirmativam dico, satis manifesto ostendit. quodsi illam interrogationem et hunc imperativum neglegimus, Thucydides coniunctionem δή non adhibuit nisi post vocem demonstrativam aut particulam μέν, qualibus locis etiam asyndeta admisit. itaque non bene Krueger I 37, 2 et III 61, 2 δή in textum recepit contra codicum auctoritatem, nec bene Classen IIII 40, 1 δή pro con-

iunctione conclusiva habuit, nec bene multi, qui Thucydidis historias ediderunt, VI 89, 2 Reiskium secuti codicum lectionem δ' ἡμῶν in δὴ ἐμῶν immutaverunt.

Rarius etiam quam Thucydides particula δή sola in initio enuntiatorum usus est Antiphon, in cuius sex orationibus, si eos locos omittimus, qui recte ab aliis iam emendati sunt (IIα 3, V 49, 73, nuperrime IIIδ 9 a Kohmio, Mel. Vindob. VIII 46), duo relincuntur loci: IIIγ 2 δή post imperativum et V 19 οὑτωσὶ μὲν δὴ πολλοῖς ἐλασσωθεὶς τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων καὶ τοῦ δικαίου καθέστηκα εἰς τὸν ἀγῶνα· ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι ἐμαυτὸν ἀναίτιον ἐπιδεῖξαι, qui locus omni ex parte similis est illis, quos et apud Herodotum et Thucydidem maxime usitatos esse vidimus.

E libello de re publica Atheniensium unus locus huc pertinet III 2 ἆρα δή τι θαυμαστόν ἐστιν εἰ τοσούτων ὑπαρχόντων πραγμάτων μὴ οἷοί τ' εἰσὶ πᾶσιν ἀνθρώποις χρηματίσαι; λέγουσι δέ τινες eqs., qui dignus est, quem diligentius examinemus. rhetorica enim interrogatio vel potius sententia negativa, quae ei subest, primo obtutu consequentiam videtur continere eorum, quae ante dicta sunt. sed locus iste eo insignis est primum, quod adpositis verbis τοσούτων ὑπαρχόντων πραγμάτων antecedentia comprehenduntur, deinde quod in hoc capite ineunte similia verba leguntur: πῶς ἂν καὶ οἷοί τε εἶεν, qua re certius fit has sectiones inter se arte cohaerere atque quodam modo corpus aliquod esse, quod hoc enuntiato concluditur, denique eo, quod verbis λέγουσι δέ ad aliam rem transitur. etiamsi igitur in priore membro μέν non exstat, tamen quam proxime hic locus accedit ad eos, quos totiens apud Herodotum Thucydidemque repperimus.

Sed quam diversus fuerit, qui erat temporibus illis, usus coniunctionis δή ab eo, qui aetate posteriore vigebat, si quis, Andocides declarat. nam cum orationes II. et I. inter XVI locos, qui δή exhibent, plane nullum contineant, quo δή in initio enuntiatorum ad enuntiata coniungenda adhibeatur, in oratione tertia particula δή utroque loco, quo legitur, pro coniunctione habenda est. nam § 4 ἓν δὴ τοῦτο ὦ 'Α. πρῶτον σκεψώμεθα consecutiva huius coniunctionis vis facile cognoscitur, § 27 σκεψώμεθα δὴ καὶ τοὺς Ἀργείων λόγους, quo idem verbum σκεψώμεθα exstat, orationem progredi hac vocula indicari videtur. tum igitur particula δή iam prorsus tamquam coniunctio conclusiva usurpari coepta erat, quem usum accuratius persequi per ea, quae sequebantur, tempora non meum esse puto. hunc usum liberum cum ab aetate superiore abiudicandum esse viderimus, non licet cum Blassio in Palamede, si modo genuinam formam libri Gorgiani habemus, §§ 8 et 24 δή scribere pro lectione vulgata δέ, quae loci utriusque sententiae optime convenit.

III.

Herodotus particula δή totiens utitur, ut ceteros scriptores omnes facile in hac re superet. nam complures apud eum sectiones longiores inveniuntur,

in quibus δή quinquies (I 114, VI 127, VIIII 48), breviores, in quibus quater (I 13, VI 77) legitur; atque in I 214 septies, in I 86 sexies repetitur.

Eam ubertatem Attici antiquissimi restrinxerunt, quamquam etiam apud Thucydidem I 122, 4, V 74, 1, VI 33, 4, VII 56, 4, VIII 48, 5 binae particulae δή deprehenduntur. sed in universum et Thucydides rarius hanc voculam admisit et Gorgias, qui in Helena semel, in Palamede sexies, et Antiphon, qui duodecies ea usus est; deinde in libello de re publica Atheniensium sexies, in orationibus Andocidis duodevicies (+ [IIII] 14) reperitur.

Sed multo saepius oratores posteriores δή adhibuerunt, velut Demosthenes et Aeschines, cf. V. Trentepohl, observationes in Aeschin. usum dicendi p. 41. inprimis autem illius dicendi generis magis vulgaris, quod post Herodotum iterum in Xenophontis et Platonis scriptis manifesto adparet, frequens ille particulae δή usus proprius erat.

IIII.

De eis particulis, quae cum δή compositae sunt, quales sunt δήπου, δῆτα, δῆθεν, solum δῆτα nobis spectandum est, quod unum ad copulanda enuntiata adhibebatur. quamquam, quid ea particula significetur, satis constat, cf. Kuehner § 501 IIII p. 686, Wetzell p. 17, nemo tamen exploravit, quo modo ea usi sint orationis solutae scriptores antiquissimi.

Herodotus igitur teste Hoffmanno § 4 sex locis δῆτα scripsit, quorum quattuor eo insignes sunt, quod pronomen demonstrativum aut antecedit: III 31, aut non multo post sequitur: II 114, III 6, VII 147, quibus locis δῆτα post vocem interrogativam collocatum est. a quibus locis aliquantum distant II 22, ubi δῆτα ad adverbium interrogativum κῶς referendum est, enuntiata autem coniunctione ὦν conectuntur, et IIII 69, in cuius enuntiati initio extremum verbum enuntiati antecedentis iteratur.

Thucydides autem semel tantum δῆτα usus est in oratione Athenagorae Syracusani: VI 38, 5 καὶ δῆτα, quod Classen interpretatus est *und in der That.*

Praeterea apud Atticos antiquiores hi loci inveniuntur: Ant. V 63, VI 15, And. I 101, 149, III 32, qui omnes magnam inter se habent similitudinem. namque Ant. V 63 et And. I 101 οὐ δῆτα negativum responsum est interrogationis, quae antecessit; Ant. VI 15 verbis οὐ δῆτα ἔγωγε sententia negativa praegressa, And. I 149 verbis μὴ δῆτα exhortatio negativa antecedens confirmatur. locus autem difficilior And. III 32, qui a verbis μὴ δῆτα incipit, similis est illorum apud Herodotum locorum, ubi item paulo post δῆτα legitur pronomen demonstrativum, quo antecedentia significantur.

Cum igitur antiquitus usus particulae δῆτα angustis finibus circumscriptus esset, aetate inferiore, qua δῆτα multo frequentius adhibebatur, aeque ac simplex δή etiam in numero coniunctionum conclusivarum habebatur, veluti Plat.

Soph. 218d, e. quae cum ita sint, quod δῆτα hac significatione dictum legitur Lys. VIII 3, id quoque fortasse argumentum est, quo suspicio, quam oratio illa movet, augeatur.

ΑΡΑ.

Quamquam de nullius paene particulae originatione vique genuina tam diverse iudicatum est quam de particula ἄρα, tamen ei adseverandi significationem subesse credam,[1]) quae quidem omnibus, qui adferentur, locis facile cognoscatur.

I.

Hac adverbiali significatione in primis Herodotum usum esse particula ἄρα in qualibet enuntiati sede videmus: I 141, III 64, 70, V 49, VI 62, VII 35, VIIII 108. sed praeter hos locos alii apud eum inveniuntur, quibus ἄρα certis potissimum particulis adiungi coeptum esse adpareat. quod ut exemplis illustrem, locos nonnullos proferam, quibus Herodoti usum in hac re simillimum fuisse usui posteriori intellegetur. legimus enim apud eum ἤν ἄρα III 45, εἰ μὴ ἄρα IIII 32, εἰ δ' ἄρα V 106, VII 9γ, VIIII 60, ὡς δὲ ἄρα I 24, 27, III 134, VII 116, VIIII 33, δὲ ἄρα I 111, II 58, 141, V 92γ, VIIII 48.

Thucydides autem mirabili constantia ἄρα semper fere post particulas condicionales inseruit: εἰ ἄρα I 27, 2; 123, 1, II 90, 2, III 56, 5; 66, 2, VIII 100, 2, qui locus eo singularis est, quod adverbium indefinitum post εἰ ἄρα legitur. nam vox indefinita interponi solet inter εἰ et ἄρα, veluti εἴ τις ἄρα II 87, 1, III 30, 3; 67, 1; εἴ τι ἄρα I 136, 4, II 5, 1; 12, 1; εἴ τῳ ἄρα VI 24, 4; 78, 1; εἴ που ἄρα III 82, 7; εἴ ποτε ἄρα III 10, 6, [84, 3 εἴ ποτε ἄρα τις]; denique hic adferendus esse videtur locus IIII 86, 3, ubi εἰ et ἄρα aliquanto longius inter se distant. ἤν ἄρα I 93, 7; 140, 1, II 5, 4, quibus locis post ἄρα vox indefinita legitur, quae I 84, 2 interponitur, II 13, 1, IIII 8, 5; 18, 5; 42, 4; 59, 3; 92, 1, VI 33, 4; 41, 3; 75, 1; praeterea ἤν ἄρα reperitur I 70, 7 (ἤν δ' ἄρα καί του πείρᾳ σφαλῶσιν) et II 87, 9 (ἤν δέ τις ἄρα καὶ βουληθῇ). in quibus locis numerandus est etiam VI 60, 2 (εἴτε ἄρα).

His locis, qui eo conspirant, quod ἄρα particulae condicionali adnectitur, ex toto Thucydide non plus quinque, quibus vis adverbialis particulae ἄρα animadvertitur, adici possunt. quos iam singulos inspiciamus. I 69, 5 ἄρα post pronomen relativum collocatum est; I 121, 5 et VI 76, 4 ἄρα in enuntiatis

---

[1]) Cf. quae Kuehner § 509, 1 p. 720 dicit: *ἄρα drückt eine Versicherung oder Bekräftigung aus und scheint unter den deutschen confirmativen Adverbien am meisten dem in Süddeutschland sosehr gebräuchlichen Adverb 'halt' . . . zu entsprechen.*

negativis mediis, ut maius eis addatur pondus, adhibetur; III 113, 4 οὐκ ἄρα τῶν μεθ' ἡμῶν μαχομένων ἐστίν et V 100 ἦ που ἄρα (cf. Plat. de rep. X 595 c) haec particula in oratiuncula ineunte legitur, cuius gravitas ea augetur.

In declamationibus, quae Gorgiae adtribuuntur, nullum huius usus exemplum inest, unum in Antiphontis orationibus: VI 1 εἰ ⟨δ'⟩ ἄρα τις cognatum illis locis, qui multi sunt apud Thucydidem.

Ab his locis non multo differunt ii, qui reperiuntur in libello de re publica Atheniensium et Andocidis orationibus. atque in illo semel ἄρα legimus III 12, ubi coniunctione ὡς sententia cuiusdam, quem sibi adversari fingit scriptor, profertur, quae ilico impugnatur. eadem ratione Andocides particulis ὡς ἄρα I 4, 54, 137 usus sententias adversariorum proposuit; III 15 autem ἐὰν δὲ ἄρα exstat.

Antiquissimos igitur Atticos magis minusve cavisse elucet, ne ἄρα cum aliis verbis quam cum coniunctionibus εἰ (ἐάν) et ὡς coniungerent.

Postea vero, quamquam, qui antea fuerat, usus semper valebat, cf. Lys. III 40, XXX 7, Isocr. VI 72, Dem. XX 68, XVI 31; XXIIII 199; Xen. An. V 1, 13, Cyr. I 6, 2, Hell. VI 3, 6; An. V 6, 29; 7, 5; Plat. Apol. 17 b, Phaedr. 238 d, Phaedo 70 c; Conv. 174 b, eius fines in dies longius proferebantur. quam dicendi libertatem paulatim crescentem paucis exemplis illustrabo. etenim non solum aliis quoque coniunctionibus hypotacticis et paratacticis, quae vocantur, ἄρα postponebatur, veluti ὅτι ἄρα Dem. XVIIII 160, Xen. Cyr. I 3, 10, Plat. Phaedo 68 b, de rep. II 375 d; δὲ ἄρα Lys. fr. 11, Isae. X 17, Xen. Comm. I 6, 7, Cyr. I 3, 9, Oec. I 8 οὐδ' ἄρα γε, Plat. Phaedo 68 a, Phil. 30 b; ἀλλ' ἄρα Xen. Comm. III 11, 4; δὴ ἄρα Xen. Oec. XVIII 9; γὰρ ἄρα Plat. de rep. IIII 438 a, verum etiam mediis in enuntiatis, id quod iam apud Herodotum praecipue vidimus, ἄρα persaepe nobis occurrit, veluti Lys. III 30, X 22, XII 36, XXXI 28, Xen. Cyr. VII 3, 6, Hell. II 3, 56, Comm. IIII 4, 23, Plat. Crito 50 e, Conv. 177 e, Gorg. 487 a.

II.

Alterum genus locorum, quibus ἄρα legitur, ita comparatum est, ut ea particula enuntiata copulentur aut certe copulari videantur. sed quamquam nos hunc usum vulgarem esse rati ἄρα pro c o n i u n c t i o n e c o n c l u s i v a habere consuevimus, tamen is inferioris demum aetatis certis exemplis comprobari potest.

Sicut enim apud Herodotum ἄρα numquam coniunctionis conclusivae partes tenere Hoffmann § 1 adfirmavit,[1]) ita de Thucydide Antiphonte libello de re publica Atheniensium idem dicendum est. religiosius enim quam rectius

---

[1]) Haud recte Stein particulae ἄρα, ubi mediis in enuntiatis legitur, saepe vim conclusivam obtrudit.

Blass Ant. VI 35 codicum lectionem ἄρ' recepit pro leni Baiteri emendatione γάρ.

Sed unus Andocidis locus obsistere videtur I 4 οὗτος ἄρα βουλήσεται περὶ τοῦ σώματος τοῦ ἑαυτοῦ κινδυνεῦσαι; ubi pronomine οὗτος in principio enuntiati collocato is, de quo duobus membris enuntiati relativi praegressi expositum est, iterum nominatur; qualia enuntiata aut cum coniunctionibus conclusivis aut sine ulla coniunctione adiciuntur, cf. I 10, 74, III 6, ita ut dubium sit, utrum illud ἄρα pro coniunctione habendum sit an sola ei vis adverbialis tribuenda. si autem nobiscum reputaverimus apud Andocidem saepius interrogationem interrogatione ἀσυνδέτως excipi, veluti I 138, ac tempore illo nullum plane locum reperiri, quo ἄρα aperte sit coniunctio, ne hunc quidem locum contra legem supra a nobis propositam facere contendemus.

Quodsi illi aetati coniunctionem ἄρα incognitam fuisse statuimus, eo magis nos miros debet habere, quod in altera, quae sub Gorgiae nomine traditur, declamatione, quae Palamedes inscribitur, ter (7, 12 bis) ἄρα ita legimus adhibitum, ut ipsa locorum sententia fere iubeamur censere hanc particulam coniunctionem conclusivam esse.

Quos locos si neglegimus, hic usus tantum exemplis, quae aetatis inferioris sunt, comprobari potest. sed cum primum ἄρα hoc sensu usurpari coeptum est, mirum est, quanto opere brevi tempore is usus increbruerit. permagna enim frequentia coniunctionis ἄρα inprimis iam in dialogis Platonis observatur.

III.

Iam ut etiam de frequentia huius particulae pauca addamus, Herodotus particularum ille amantissimus ἄρα quoque satis saepe orationi intexuit. Attici vero antiquissimi multo erant moderatiores; toto enim Thucydide non plus XXXVIIII, in orationibus Antiphontis et libello de re publica Atheniensium singula tantum eius exempla reperiuntur, Andocides autem quinquies ἄρα adhibuit. sed in orationibus posterioribus, in libris Xenophontis atque inprimis Platonis ingens est copia locorum, quibus ἄρα legitur.

ΤΟΙΓΑΡΤΟΙ et ΤΟΙΓΑΡΟΥΝ.

Hae particulae [1]) inter se non diversae, quae ex sententia antecedenti aliquid consequi cum gravitate quadam significant, antiquioribus temporibus admodum raro positae sunt atque τοιγαροῦν rarius etiam quam τοιγάρτοι.

---

[1]) Cf. Kuehner § 545 n. 6, 7 p. 859, Baeumlein p. 255.

Apud Herodotum utraque particula semel legitur: τοιγάρτοι III 3, τοιγαρῶν IIII 149. ex toto Thucydide autem unus locus huc pertinet: VI 38, 3, ubi legimus τοιγάρτοι δι' αὐτά. a Gorgiae declamationibus Antiphontis orationibus libello de re publica Atheniensium utraque particula omnino abest; contra Andocides bis usus est vocula τοιγάρτοι: I 108 et 119; accedunt duo loci orationis quartae spuriae: 12 τοιγάρτοι διὰ ταῦτα et 22. iam locos, qui in oratione prima exstant, accuratius inspiciamus. ad I 108 Bake schol. hypomn. I 224 haec adnotavit: *intellegitur recepta post Salaminiam pugnam urbs indeque exortus Graeciae principatus; itaque necessario διὰ ταῦτα mutandum in μετὰ ταῦτα.* quae coniectura futtilis est; τοιγάρτοι enim cum διὰ ταῦτα coniungere sollemne erat et hoc loco διὰ ταῦτα optime ferri potest, cum his verbis idem dicatur, quod paulo infra iterum commemoratur verbis διὰ τὸ ἀλλήλοις ὁμονοεῖν. alter autem locus I 119 consequentiam continet sententiae ante enuntiatum causale καὶ γὰρ εἰ ἔζη Ἐπίλυκος ἢ τεθνεὼς πολλὰ κατέλιπε χρήματα, ἠξιοῦμεν ἂν γένει ὄντες ἐγγυτάτω ἔχειν τὰς παῖδας pronuntiatae, itaque huius loci sententiae sic cohaerent: *nos dedecet spretis Epilyci filiis alias uxores ducere; qua de causa eas duceremus in matrimonium, si ille viveret aut multa reliquisset, ob ipsum Epilycum aut opes, nunc, quoniam res aliter se habet, pro animi virtute eas ducemus.*

Si iam ad alios progredimur Atticos, Lysias τοιγάρτοι bis scripsit, XXVI 20 τοιγάρτοι ἀντὶ τούτων, XXXI 24, τοιγαροῦν numquam. Isocrates vero, cui τοιγάρτοι voce τοὶ iterata fortasse molestius fuisse iam p. 170 suspicati sumus — certe in omnibus orationibus duobus tantum locis τοιγάρτοι posuit: VII 52 τοιγάρτοι διὰ ταῦτα, XV 126 τοιγάρτοι διὰ τὴν δόξαν —, inter oratores primus τοιγαροῦν admisit IIII 136, 152, VII 48, XI 6, 17, XV 138. posteriores autem oratores paucis quidem locis et τοιγάρτοι et τοιγαροῦν promiscue adhibebant, cf. Aesch. I 114 τοιγάρτοι, Dem. XVIII 40 τοιγαροῦν.

Idem de Platone dicendum est, ex quo locos, qui huc pertinent, contulit Hoefer, de particulis Platonicis p. 39 et nuperrime neglectis scriptis subditiciis Kugler, de particulae τοὶ eiusque compositorum apud Platonem usu p. 38. ex his locis omnibus unus dignus esse videtur, cuius hoc loco mentionem faciam: [Ax.] 365e eo eminet inter omnes, quod τοιγαροῦν alterum enuntiati locum obtinet. Xenophon autem τοιγάρτοι omnino evitavit et solum τοιγαροῦν posuit locis sat multis, quos Roquette p. 40 collegit.

Index locorum.